UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1652. usque ad annum 1662

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1779

VD18 90119185

Liber CCIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-67372

Visual Library

Christina Sueciæ Regina Ecclesiæ Catholicæ reconciliata.

C. Lauber sc. A. V.

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

CONTINUATÆ.

LIBER CCIII.

INNOCENTIUS X. PONTIF. MAX.
FERDIN. III. OCCID. IMPER.

§. I.

Undecim Præsules ab Innocentio X. Pontifice Cardinalium Collegio adscripti.

Sæc. XVII. A. C. 1652.

Fluxerat annus hujus sæculi quinquagesimus secundus, quo Innocentius X. Pontifex Maximus die decima

Ciacon. in vita Innocentii X. Vid infra §. 3.

Sæc. XVII. A. C. 1652.

nona Februarii undecim Præſules Purpuratorum Senatui accenſebat. Horum primus erat Joannes Franciſcus Paulus de Gondii, qui Joannis Franciſci Patrui ſui Pariſienſis Archiepiſcopi Coadjutor in Cardinalem Presbyterum tit, S, Mariæ ſuper Minervam ad nominationem Franciæ Regis eligebatur, vulgo dictus Cardinalis de Retz ſeu Radeſius, cujus fata poſtmodum recenſebimus. II. Fabius Chiſius Cardinalis Presbyter tit. S. Mariæ de Populo, qui Sedis Apoſtolicæ Nuntius ad Conventum Monaſterienſem miſſus in ſucceſſorem in hac legatione habuit Joſephum Sanfelicium Archiepiſcopum Coſentinum. III. Joannes Hieronymus Lomellinus Presbyter Cardinalis tit. S. Onuphrii. IV. Aloyſius Homodæus ex Decano Cameræ, Cardinalis Presbyter tit. S. Alexii in Aventino. V. Petrus Ottobonus Presbyter Cardinalis tit. S. Salvatoris in Lauro & poſtea S. Marci. VI. Jacobus Conradus Cardinalis Presbyter tit. S. Mariæ Trans Pontem. VII. Marcellus Sanctacrucius ad Poloniæ Regis preces Cardinalis Presbyter tit. S. Stephani in Monte Cælio nominatus. VIII. Baccius Aldobrandinus Presbyter Cardinalis tit. S. Agnetis in Circo Agonali, & poſtea SS. Nerei & Achillei. IX. Fridericus Landgravius Haſſiæ,

ſiæ, qui jam anno hujus ſæculi trigeſimo ejurata, in qua enutritus erat, hæreſi ad Cæſaris preces hoc anno in Cardinalem Diaconum tit. S. Mariæ Novæ, & poſtmodum S. Cæſarei, ac denique Sancti Nicolai renuntiabatur, X. Carolus Barberinus Cardinalis Diaconus tit. S. Cæſarii, & poſtea S. Angeli in foro piſcium. XI. Dominicus Pimentellus ex Ordine Fratrum Prædicatorum, Cardinalis Presbyter tit. S. Sylveſtri.

Sæc. XVII. A. C. 1652.

§. II.

Mazarinus Cardinalis primus Franciæ Miniſter armatus Pariſios reverſus.

Poſtquam Julius Mazarinus Cardinalis a Rege, ejusque Matre ad Aulam reverti juſſus erat, hic cum valido agmine Ductoribus Hocquincurtio, & Grancæio Mareſcallis, pluribusque aliis Proceribus Ræteliam Menſe Januario pervenit: Vix Parlamentum Pariſienſe illius adventum compererat, cum illico duos Senatores unacum quibusdam copiis raptim collectis Monaſteriolum emitteret, ut Cardinalem fluminis trajectu prohiberent: Prævalebant tamen Regii, captoque ex Senatoribus uno, & diſſipatis ceteris Parlamenti militibus

Mem. du Card. Retz t. 3. p. 43. Hode Hiſt. de Louis XIV. l. 13. pag. 128.

Sæc. XVII. A. C. 1652.

bus Mazarinus Pictavium, ubi tum Aula agebat, die vigesima nona Januarii secundis avibus advenit, ipsa Regina ac Rege eidem obviam euntibus; quo comperto Parlamentum non modo sanguinarium suum decretum contra Cardinalem confirmavit, sed accitis etiam in seditionis societatem ceteris Regni Parlamentis Hocquincurtium, ejusque posteros læsæ Majestatis reos declarare constituit. Suffragabantur eidem Aurelianensis Dux, & Condæus Princeps, qui inito inter se fœdere Mazarinum armata vi Regno expellere decreverunt: Primus igitur Condæus Hispanis copiis auctus, in Aquitaniam irrupit, civilis incendii flammam ad ipsa quoque Franciæ præcordia propagaturus: mox autem Harcurtius Marescallus illum cum selecto milite adoritur, eumque fugienti, quam pugnanti similiorem presso pede insequitur; usque adeo enim Heroem illum antea victoriarum fama clarum jam sui dissimilem reddiderant & militis sui ignavia, & caussæ iniquitas. Nec magis prospero armorum successu pugnabat Rohanius Dux Andium Pro-Rex. qui quidem Andegavensem urbem, illamque Regionem in Condæi partes flectebat, mox tamen ab Hocquincurtio non sine magna clade repulsus, hanc civitatem dedere

dere cogebatur; pari etiam fato per Na- Sæc. XVII
vallium Marchionem Urbs Pons - Cæ- A. C. 1652.
ſaris dicta in Regis poteſtatem redacta eſt, præſidiariis Regis clementiæ ſeſe dedere compulſis: Favebat adhuc Aurelianenſi Duci, uti in ſeditioſis tumultibus fieri amat, fortuna primis expeditionis auſpiciis ad montem Argium; hic enim ductoribus Nemurſio, & Bellefortio plures recuperabat urbes, atque etiam copiis ſuis circa Gergolium oppidum diſpoſitis, ipſum Regem, Reginam, totamque Aulam captos abduxiſſet, niſi Turrenius Mareſcallus collectis nonniſi trecentis peditibus, iisque plumbo & pulvere deſtitutis accurrens, potius nominis ſui fama, quam armorum violentia ſeditioſos in fugam egiſſet: Ita non raro generoſi Belliducis nomen, & auctoritas ad comprimendos potentiores hoſtes plurimum valet: Parta autem hac victoria Turrenius ipſum Condæi exercitum prope Stampam urbem aggreſſus, cæſis plusquam mille, captisque quamplurimis rebelles usque ad ſuburbium ſancti Antonii ſtrenue inſecutus eſt, ibidemque prælio a ſummo mane ad ſeram veſperam protracto totum exercitum ad internecionem delevit, & Condæum captum abſtraxiſſet, niſi Montpenſeria Nobilis Virgo illum cum ſuis copiis a-

Sæc. XVII. A. C. 1652.

perta Urbis porta excepiſſet: Sub idem tempus Carolus Lotharingiæ Dux quaſi belli arbiter in Franciam venit, prohibuitque, ne rebelles omnino attererentur, proin ipſius adventu civile hoc bellum magis reparatum, quam ſublatum eſt. Poſtquam vero inſtigantibus, ut creditum eſt, Principibus factioſis plurimi cives cordatiores, qui ex omnibus Ordinibus in civitate, *quam Domum Urbanam vocant*, de opportunis urbem a belli calamitatibus præſervandi mediis deliberaturi convenerant, pugionibus, ſclopis & fuſtibus inermes mactati fuerant. Criminis atrocitate commoti Proceres, Parlamenti Præſides, Senatores aliique quamplurimi relictis Principum ſtudiis paſſim, occulte tamen, ad Regis obſequium revertebantur, ceteris ob metum, quem Principes rebellis Parlamenti patrocinio freti incuſſerant, adhuc hoſtilia molientibus, & Pariſienſi plebecula novos motus ſuſcitante. Hunc ipſum tamen timorem penitus diſcuſſit clementia Regis; hic enim, poſtquam Pariſinos Legatos omni benevolentia excepit, ac rurſus Cardinalem Mazarinum die decima nona Auguſti ex Aula Sedanum ſecedere juſſit, Parlamento, quod Pontæſiam erat translatum, Pariſios revocato, cunctis ſubditis plenam præteritorum veniam indulſit, demum

vero

vero die vigesima prima Octobris Lutetiam Parisiorum ingressus, non sine incredibilis gaudii significatione exceptus est. Substiterat adhuc in urbe Aurelianensis Dux, qui tamen inde Lemovicum, ejus vero Filia Montpenseria Blesum maturius, quam eorum dignitas, natalesque postulassent, discedere jubebantur: parem quoque sortem subiere ex Senatoribus, decem ceteris obstinatiores, præter hos Brussellus & Thuanus, necnon Bellefortius, Rupifocaldius, & Rohanus Duces, aliique Nobiles Parisios excedere compulsi sunt: Condæus interea, quamvis Lotharingi Ducis copiis auctus Turrenio superior esset, hunc tamen aggredi minime ausus, nonnisi proclama affixit, quo populum ad insectandum Mazarinum concitans, vindictam, ac dirissima quæque minitabatur; verum a Turrenio Lucenburgum repulsus est, ammissisque omnibus, quas ceperat, urbibus, tandem in Belgium unacum Hispanis secessit, ne vero solus & egens, sed cum aliqua Franciæ parte accessisse videretur, Rethelium, & oppidum sanctæ Manehildis, quas urbes adhuc sibi addictas tenebat, ad Hispanos transtulit. Ita demum civiles hi tumultus exiguo tempore sedati fuere, indeque patuit, in Francia res turbari facile, facilius conquie-

Sæc. XVII. A. C. 1652.

Sæc. XVII. A. C. 1652.

quiescere, & plerumque istic motus quamcunque in partem incubuerint, non esse diuturnos, præcipue, quando primus tumultuantium impetus constanti animo retunditur.

§. III.

Gondius seu Radesius Cardinalis Regis jussu captus, & Vincennas abstractus.

Priet. Hist. mund. ad An. 1652. *Daniel Hist. de France tom.*10.

Interea Hispani ex civilibus hisce dissidiis plurimum contra Gallos in Catalonia profecere; hos enim capta Barcinonensi urbe ex universa ferme Provincia expulerunt, necnon Gerundam, Palamosium, pluresque alias civitates pristino suo Regi vindicarunt: nec minus luculenta ignaviæ, levitatisque monimenta Galli in Italia & Flandria defixere; paucos enim intra Menses præter Casalin urbem Mantuano Duci redditam, insuper Dunckerkam, & Gravelingam Hispanis cedere coacti sunt: Tot damnorum culpa non infima credebatur Paulus Franciscus Gondius, vulgo dictus Cardinalis Radesius, antea Corinthiacus, postea Parisiensis Archiepiscopus, qui inter Regis & Principum dissidia medias partes tenere simulans, utriusque partis favore Cardinalis creabatur, & Franciæ tumultibus, quos

quos tanquam *Fundibulariorum* Caput non parum promoverat, & ingenio suo potissimam partem purpuram debebat: Postquam igitur Mazarinus Cardinalis juratus Radesii hostis cum valido agmine Regiis Baro - Ducum obsidentibus suppetias venerat, victorque unacum Rege Lutetiam ingressus erat, Radesius sibi metuens, cum Mazarino reconciliari exoptabat, hancque in rem suæ Neptis conjugium cum præfati Cardinalis Nepote offerebat: Spe tamen sua delusus, non modo Mazarino æqualis, sed & superior esse nitebatur: postquam vero Rex illum tanquam Legatum Romam mittere decreverat, Radesius tam ingentem pecuniarum vim, tamque amplas dignitates, & munia pro suis consanguineis postulabat, ut indesat luculenter pateret, quod Galliis excedere nollet: quinimo nonnisi armatorum manu stipatus, ex ædibus suis prodibat, palam declarans, se nunquam Parisiensem auram mutaturum: cum autem inde novi tumultus suspicio in eum caderet, simulque insimularetur, quod eadem die, qua Rex Parisios redierat, Aurelianensi Duci suasisset, ne ex Regis mandato urbe excederet, hinc Rex illum, cum nihil sinistri suspicatus Luparam adiret, ex Mazarini æmuli sui consilio die decima nona Decembris

Sæc. XVII. A. C. 1652.

Sæc. XVII. A.C. 1652.

comprehendi, & Vincennas primo, ac postea ad Nannetensem arcem abduci jussit. Comperta Cardinalis captivitate Franciæ Præsules, Sorbonæ Doctores, ac præcipue Parisienses Cathedralis Ecclesiæ Canonici de violata immunitate graviter questi, Pastorem suum in libertatem asseri petebant, hancque in rem per triduum Sacratissimam Eucharistiam exponi præcipiebant: Insuper summus Pontifex Morinium Lugdunensem Archiepiscopum Parisios ad Regem deputabat, ut Sacræ Sedi, quæ sola competens esset Cardinalium Judex, capti Præsulis caussam reservari impetraret: priusquam vero hic Archiepiscopus iter aggrederetur, Regii Senatus literas Lugduni acceperat, quibus ulterius progredi prohibebatur: ne tamen ea res in funestos successus erumperet, Mazarini Cardinalis prudentia, dexteritasque præpedivit.

§. IV.

Franciscus Canonici Mascambrunus Romæ extremo supplicio affectus.

Acta crim. Rom. Mascambr. Fulden. Hist. temp. l. 1. pag. 35.

Infelicis sane prosperitatis monumentum exstitit Franciscus Canonici, dictus postea Mascambrunus. Hic tenuis fortunæ parentibus Apirii ignobili Marchiæ

chiæ Anconitanæ Pago natus, Romam venit, fuique ingenii docilitate celebris Causſidici Camilli Maſcambruni patrocinium, favoremque tam feliciter aucupatus eſt, ut hic eum non modo laboris ſocium, ſed etiam ſuæ Bibliothecæ, legalium ſcriptorum, proprii-que cognominis hæredem ſcriberet: cum autem multa laboris aſſiduitate, longisque vigiliis jurisprudentiæ ſcientiam velut exhauſiſſe videretur, exoptatoque ſucceſſu cauſſam Andreæ Juſtiniani, qui poſtea Pamphilio Cardinali affinitate junctus erat, feliciter pertractaſſet, hujus Cardinalis amicitiam ſibi tam proſpero conatu conciliabat, ut ab eodem in Papam electo Auditor Pontificius, & continuato fortunæ afflatu poſt Pancirolli Cardinalis obitum Pro-Datarius nominaretur, tanti a Pontifice habitus, ut univerſæ Aulæ Pontificiæ, Olympiæ, ipſisque Papæ amicis, ac præcipue illis, qui ejus fortunam plurimum promoverant, ſeſe formidandum, ſoli autem Pontifici gratiſſimum redderet, ſpretoque Cecchino Cardinale Datario pro ſummo imperio Datariæ negotia expediret: Verum brevi tam effrænis arrogatæ auctoritatis intemperies in fædiſſimas ſacrati hujus tribunalis corruptelas, erumpebat, excuſſisque, quibus Maſcambruni

Sæc. XVII. A. C. 1652.

cupi-

Sæc. XVII. A.C. 1652. cupiditas refrænari potuiſſet, habenis concinnus ordo in fœdam confuſionem, juſtitia in venalitatem, & Sanctitas in publicam proborum offenſionem degenerabat; Maſcambrunus enim toto tempore, quo Datariæ officio fungebatur, turpiſſimas beneficiorum nundinationes, falſitates, & enormia ſcelera incredibili prorſus libertate, & impunitatis fiducia committebat: nunquam vero abominabilis ſcelerum enormitas magis patuit, quam dum Innocentius Papa anno priori per plurimos Menſes graviſſima detinebatur infirmitate; tum enim ſoli Maſcambruno liber ad eundem patebat acceſſus, qua opportunitate uſus, plures literas Apoſtolicas falſo conceptas ſummo Pontifici ſubſcribendas ſuppoſuerat: Accidit eo tempore, quod quidam Comes de Villa-Franca de Sodomiæ vitio inſimulatus, ut Luſitanæ Inquiſitionis Tribunal, ejusque ſeveritatem declinaret, Romam confugeret, ac profuſo largius auro Maſcambruni Pro-Datarii patrocinium imploraret: Hic ergo confeſtim libellum ſupplicem, ſimulque adulterinum conficit diploma Pontificium, quo Innocentius Papa hanc cauſſam a Luſitano Inquiſitionis Tribunali ad ſe evocans, illam laico Judicio committere dicebatur, hocque reſcriptum Maſcambrunus

brunus ſolito ſuo artificio Pontifici ſubſcribendum tradidit: Enimvero adulterinum hoc diploma, priusquam enormis hæc falſitas fuiſſet detecta, nondum Roma in Luſitaniam fuerat transmiſſum, illius tamen notitia jamjam in hoc Regnum pervenerat, non ſine maxima Luſitani tribunalis indignatione, eoquod ex plurium Pontificum privilegio Inquiſitioni Luſitanæ judicialis cognitio cauſſæ, quæ ex Sodomiæ crimine oritur, ſemper fuiſſet reſervata. Augebatur inſuper indies Romæ rumor de inſolito hoc Pontificio favore, in cujus ſuſpicionem trahebatur Mendeſius Curiæ Romanæ Prælatus patria Luſitanus; hujus tamen innocentiam vindicare nitebantur ejusdem amici, vehementius quoque apud ſummum Pontificem deſuper querebatur quidam Jeſuita Luſitaniæ Aſſiſtens: Horum querelis tandem e ſomno excitatus Pontifex, Cardinali Cecchino Datario negotium dedit, ut in tanti ſceleris auctorem inquireret: fruſtranea tamen erat hujus Cardinalis ſolertia, eoquod Maſcambrunus hoc Breve nequaquam in Datariæ Curia, ſed in alio Officio, quod *contradictorium* appellant, per Joſephum Brignardellium hominum venalem expediri curaſſet: Habita vero hac notitia Brunenghius præfati Officii Præſes con-

Sæc. XVII. A. C. 1652.

Sæc. XVII. A.C. 1652.

confictum hoc diploma Brignardellio, & Nicolao Gour, qui illud descripsit, necnon Mascambruno tum præsenti exhibuit, & facti rationem ab eis petiit: ceteris vero tacentibus, solus Mascambrunus ferrea sane frontis orisque pervicacia, ipso etiam Deo in testem vocato asseverabat, appositum chirographum nec suum esse, nec Pontificis, sed malitiosa imitatione adulteratum: Insuper, ut omnem a se suspicionem amoveret, studiosa sollicitudine in hoc Breve ejusque fabricatorem indagari postulavit, ac ipsemet unacum Brignardellio in ipsa Dominicæ Nativitatis nocte ad Didacum de Sossa Canonicum Lusitanum, in cujus ædibus hæc Bulla reperiebatur, curru contendit, huncque Canonicum decennali carcere plecti & Brunenghium custodiæ dari curavit, clandestinam vero fugam Brignardellio suasit, postea intrepide summo Pontifici spurium hoc Breve exhibuit, atque ementito Zelo sceleratos ejusmodi falsarios extrema legum severitate castigari petiit. Aliorum exitio, & complicis fuga delituisset Mascambruni iniquitas, nisi Deo ita disponente supplex libellus fuisset a Brunenghio Præside repertus, ex quo vera summi Pontificis subscriptio fuit detecta: Sub idem tempus Farnesius Urbis Romanæ Gubernator,

nator, qui Brignardellium ante fugam suam per plures horas cum Mascambruno contulisse, eumque de pluribus aliis artibus perversis, dolis & fallaciis insimulari compererat, mox Papam convenit, & Mascambrunum custodiri petiit: Hunc vero Pontifex accersiri jussit, ac verbis oppido asperis minisque vehementer objurgavit, qui etiam confestim supplex ad Papæ pedes prostratus, veniam precabatur, atque expertæ ipsius indulgentiæ & Rossanæ Principis patrocinio confisus, etsi ad celerem fugam ab amicis suis esset stimulatus, intrepide ad consuetam Congregationem in ædibus Pamphilii Cardinalis habitam die vigesima Januarii accessit, tertia autem post die ex ædibus suis ad carceres novos deducebatur, ubi crebro examini subjectus, accusabatur, I. quod libellos supplices a Pontificibus jam subscriptos, necnon Apostolica diplomata, & præcipue Bullam Urbani VIII. circa Ecclesiam Collegiatam in Firmana urbe recens erectam adulterasset, immutasset, additisque clausulis concessiones Pontificias ad alienum sensum detorsisset II. Plures libellos supplices, & literas, quibus alios titulos & summaria a materiis intus contentis diversa præfixisset, summo Pontifici subscribendas obtruserit,

Sæc. XVII. A. C. 1652.

Sæc. XVII. A.C. 1652.

ferit, & pro arbitrio suo Pontificias gratias & indulta fraudulenter extorsisset. III. Multa scutorum millia sæpius Officio de componendis Missarum obligationibus subtraxisset, ac sibimet vendicasset. Enimvero Mascambrunus pro ea, qua præditus erat, forensium caussarum peritia, ingenii sagacitate, & linguæ promptitudine variis artibus, effugiis & jactato ipsius Pontificis consensu & scientia hæc accusationum capita eludere nitebatur: Nihilominus cum in literarum Apostolicarum falsitate sese maximis, plurimisque criminibus implicasse, & in suo munere omnino Pontificis famæ, debitæ rectitudinis, fideique oblitum, ac propriæ avaritiæ & pecuniæ cumulandæ addictum fuisse, pene innumerorum testimoniis convictus esset, & insuper Brignardelius & alius perpetratæ fraudis conscius e fuga Romam deducti crimen faterentur, Mascambrunus post trimestrem carcerem, caussamque accuratissime discussam, & diuturno examine ventilatam suo primum officio exutus, demum Judicum sententia ad laquei supplicium in ponte S. Angeli subeundum damnatus est. Hanc tamen severitatem summus Pontifex temperans indulsit, ut privatim in carceris foro capite plecteretur. Ergo ex carcere suo ad

Eccle-

Ecclesiam sancti Salvatoris in Lauro deducitur; ubi ab Apostolico Pontificii Sacelli Sacrista juxta ritum Ecclesiasticum Sacerdotii dignitate & vestibus Sacris spoliatus, inter lictores medius ad carceres rursus conducebatur, altera die capite imminutus, cujus corpus per quatuor horas palam in ponte S. Angeli toti urbi spectandum exhibebatur, ut violata fides, corrupta Justitia, & profanata Tribunalium Sanctitas in Romanorum, exterorumque animis per publicam vindictam, & hujus prævaricatoris supplicium restauraretur: Jam antea Guido Canonici Mascambruni Nepos die vigesima tertia Januarii captus, cunctisque suis bonis ærario addictis ad triremes fuit condemnatus, & Octavius Canonici ejusdem Mascambruni frater Collegiatæ ad S. Eustachium Archipresbyter ad carceres cum pluribus aliis ejusmodi fraudum consciis raptabatur.

Sæc. XVII. A. C. 1652.

§. V.

Sinensis Imperatoris Legatio ad Innocentium X. Papam decreta.

Jam ab aliquot annis in Sinarum Imperio Christi fides tantis per adversa etiam accessionibus quotidie increscebat, ut in magna hujus Regni parte plures

Tulden. Hist. temp. l. 2. Briet. Annal. Mund. ad hunc ann.

Sæc. XVII. A. C. 1652.

ædes Christiano ritu sacratæ, multaque doctrinæ Catholicæ numerarentur gymnasia, in quibus veræ fidei præcepta idiomate hujus gentis, literisque commendata passim edocebantur: Rem Christianam insuper haud parum promovebat Jungliæi Sinensis Imperatoris Mater, quæ unacum primogenito filio suo Constantino, & Achile Panga Eunuchorum Principe jamjam sacri fontis ritibus inaugurata Christi nomen Religioso cultu palam profitebatur. Horum impulsu Martinus Martinius Societatis Jesuiticæ Sacerdos hoc anno Romam Legatus venit, ut summo Pontifici filiale obsequium præstaret, eumque de fidei Christianæ progressibus certiorem redderet. Erat quidem ipsemet Jungliæus Imperator nondum Baptismi Sacramento autoratus, cum autem Viris Apostolicis nequaquam infestus esset, illum quoque veræ fidei mysteriis imbuendum, ac Christianis aquis eluendum fore, spes haud infima affulserat, dummodo a Tartarorum seu Scytharum irruptionibus liber esset; horum enim Imperator Xunchius nomine, Quandungensem Provinciam cum valido agmine invasit, omnemque late regionem suæ subjecit potestati ac Pekingæ sedem suam collocavit. Quocirca Sinarum Imperator unacum Filio, & Matre, aliis-

aliisque Christianis ex Metropoli sua, Chadkinga nomine, indeque e continenti in altum mare profugere cogebatur, ut vitæ suæ salutique adversus tam potentes hostes prospiceret. Sæc. XVII. A. C. 1652.

Eodem hoc anno in Africa Rex Monomotapæ unacum Conjuge sua & Filio primogenito, opera PP. Dominicanorum sese Christianorum sacris addixit, qui in sacro fonte Dominicus appellabatur: Reginæ autem nomen Ludovicæ, & Filio nomen Michaelis placuit; qui etiam postremus spreto postmodum Regno, amplexus S. Dominici institutum, studiisque insigni cum laude absolutis Theologiæ Magister creatus, totum sese in promovenda Cafrorum, suorumque popularium conversione impendit.

§. VI.

Imperii comitia a Ferdinando III. Cæsare Ratisbonæ indicta.

Habebatur hoc anno Francofordiæ Conventus, in quo Franconici, Suevici, & utriusque Rhenani Circuli Oratores inter se convenerant, ut Hispani Francodalia die vigesima quarta Aprilis & Palatini Hailbruna biduo post excederent, & utramque civitatem pristinis suis possessoribus integre relinquerent: quoniam vero Principum nonnulli *Tuld. Hist. temp. l. 1.*

Sæc. XVII. A. C. 1652.

de Weſtphalicæ pacis articulis haud integre adimpletis quererentur, Ferdinandus Imperator die vigeſima ſeptima Aprilis comitia ſub finem Menſis Octobris Ratisbonæ habenda indixit, quæ tamen motis ſubinde obſtaculis nonniſi Menſe Decembri initium ſumpſere: Interim vero Imperator, ut cum ſummis Germaniæ Proceribus prius communicato conſilio de controverſis negotiis deliberare poſſet, Pragam die tertia Julii contendit, decretisque Legatis Bavarum, Moguntinum, Trevirenſem, Palatinum & Saxonem Electores eo convenire rogavit, pro ſua autem, qua eminuit, religione die decima quarta Auguſti publicam ſolemnemque decrevit ſupplicationem, cui necnon decantatis litaniis ipſemet ſingulari pietatis ſtudio interfuit, ut ceteros omnes ad communes preces, Deumque placandum exemplo ſuo incitaret: Pridie autem in Templo, quod Cæſar Patribus Carmelitis Diſcalceatis in nova Pragenſi civitate recens ſuo ære exſtruxerat, præſentibus Harracho Cardinale, totoque Clero primum poſuit lapidem, eademque die prandium in cænobio eorumdem Patrum ſumpſit. Poſtmodum die vigeſima octava Septembris Palatinus, & die ſexta Octobris Moguntinus, necnon Joannes Georgius Saxo-

Saxo die decima quarta Novembris & ſequenti die Brandeburgicus Electores Pragam venere. Aderant quoque Hiſpaniæ & Daniæ Regum Oratores: His una congregatis Moguntinus & Carolus Caſparus Trevirenſis Archiepiſcopi Electoralem unionem pro more coram Saxone Electorum ſeniore juramento firmarunt: id quoque Brandeburgicus in reditu Dresdæ præſtiterat, qui etiam ſumma contentione apud Cæſarem egerat, ut ſibi a Chriſtina Sueciæ Regina, prius quam illa ad Imperii fidem admitteretur, de ulteriore Pomerania ſatisfieret. Poſtulabat inſuper, ne Ratisbonam ad Imperii comitia Oratores Reginæ vocarentur: Actum denique de pacis executione, & eligendo Romanorum Rege; cum autem hæc negotia ab Electoribus ad comitia Ratisbonenſia rejicerentur, tres Electores Eccleſiaſtici, necnon Daniæ Regis, & Electoris Brandeburgici, Leopoldi Archiducis, Neoburgi, Wirtenbergæ, Epiſcopi Friſingenſis, & liberarum Urbium Oratores eo contenderunt: Osnabrugenſis vero & Paderbornenſis Antiſtites, necnon Badenſis Marchio ipſimet aderant: His comitiis Cæſar initium fieri voluit, indictis quadraginta horarum precibus, ut Deus Optimus Imperii, Cæſarisque rebus propitius eſſe

Sæc. XVII. A. C. 1652.

Sæc. XVII. A. C. 1652.

vellet: nec tamen illico capita deliberanda proponebantur, partim quod annus jamjam ad finem vergeret, partim quod Brandeburgicos inter & Suecos adhucdum lis circa fines & Pomeraniæ vectigalia ferveret.

§. VII.

Novæ Turcarum invasiones in Hungariam.

Ortel. contin. chron. p. 166. Tuld. Hist. temp. l. 1. pag. 27.

Quantumvis Turcæ anno priori a Venetis maritimo prælio ingentem cladem perpessi essent, nihilominus hoc anno, insuperhabita firmæ pacis pollicitatione per suos Legatos Viennæ facta, crebris irruptionibus Hungariam infestarunt, ac Schemicium usque excurrentes, ex suburbiis multos Christianos in diram servitutem unacum opima armentorum præda abstraxere. Prospero insuper hoc populationis successu animati, cum valido agmine Neosolium intercipere parabant, tempestive autem Lesleus, Franciscus, Thomas, & Caspar, omnes ex generosissima Esterhasiorum familia, selecto milite eos adoriuntur, primoque impetu in fugam agunt: cum vero hi incautius, longiusque abrepti hostem insequuntur, a bis mille Turcis, qui in insidiis latebant, cincti post acre certamen una-

unacum ſuorum potiſſimis trucidati ſunt, ceteris omnibus captis. Accurrerat equidem Adamus Forgatſius Neoſolii Gubernator, aſt numero longe impar non ſine clade retrocedere cogebatur: Nec tamen Turcis incruenta erat hæc victoria; ex ipſis enim cecidere octingenti, atque inter eos ſex Budenſis Provinciæ Præfecti, & tres prætorianæ cohortis Duces. Paulopoſt Turcæ corraſis undique copiis Sendreum, Butinequum & Giesgoviam expugnarunt, incenſisque pomæriis incolas, militesque nullo ſexus, formæ aut ætatis diſcrimine unaomnes aut jugularunt, aut pro captis abduxere: continuata demum rabie Sezinum urbem concubia nocte interceperunt, unoque miſcentes interitu obvios quosque, prout quemque de Chriſtianis caſus infauſtaque ſors in furentium manus dederat, paſſim gladiis, ſclopis, & haſtis interemerunt. Tot ſuorum calamitates miſertus Imperator Ferdinandus III. Buchemium Comitem cum valido exercitu Comoram emiſit, & pro tutandis Hungariæ finibus ingentem pecuniæ vim Auſtriacis ſubditis imperavit; non enim a Polonis militum aut pecuniarum ſubſidia ſperare poterat; ipſemet enim Joannes Caſimirus Poloniæ Rex gravi bello a Coſakis Tartarisque premebatur, ſe-

Sæc. XVII. A. C. 1652.

Sæc. XVII. A. C. 1652.

ditionem movente Pogdano Chmnelnicio, qui Cosakos profligatissimum hominum genus ex Lithuanis Sarmatisque conflatum sibi sacramento addixit, junctisque sibi Tartaris, eorumque Chamo Polonos primo victores, paulopost commisso ad Boristenem infausto prælio fudit, fugavitque: Hac victoria demum elati Cosaki rursus e latibulis suis in Valachiam erupere, hujusque Provinciæ Principe magna pecuniæ vi multato, in Podolia Caminieckam arte, natura, & obsessorum virtute munitissimam urbem septies, incassum tamen, expugnare moliebantur: Ea res ita perculit Regem, ut convocatis rursus ad arma Nobilibus Varsoviæ comitia indiceret, in quibus Regi pecuniarum subsidia pro retundendis hisce rebellibus, & tutandis Poloniæ finibus omnium judicio necessaria decernebantur.

§. VIII.

Philippi Christophori Trevirensis Archiepiscopi & Electoris obitus.

Briet. Annal. Mundi ad hunc ann.

Hoc item anno Philippus Christophorus a Soteren Trevirensis Archiepiscopus, & Elector die septima Februarii anno ætatis suæ octogesimo septimo, Electoratus vigesimo nono, & Spirensis Episcopatus quadragesimo secundo Tre-

Treviris deceſſit. Hic toto regiminis ſui tempore quamplurimas adverſitates, æmulorum inſectationes, captivitatem, corporisque & animi afflictiones, imperterrita tamen mente ſuſtinuit, variisque Canonicorum ſubditorumque controverſiis implicitus, quietem quam vivendo habere non potuit, tandem moriendo pene mortis ſuæ ignarus obtinuit; pridie enim ante Bachanalia die, quo ejus Aulici epulis & lætitiis pro more indulgebant, repente expiravit, quin Confeſſarius eidem adhuc ſibi præſenti aſſiſtere potuerit: nec tamen omnino imparatus ad extremam hanc luctam acceſſiſſe videtur; triduo enim ante obitum ſuum ſacra adhuc Exomologeſi, & SS. Euchariſtiæ Sacramento præmunitus, mortis inſidias antevertit.

Sæc. XVII. A. C. 1652.

§. IX.

Synodi Ruræmundenſis, Monaſterienſis, & Hildesheimenſis decreta.

Poſtquam Andreas Cruſenius Ruræmundenſis Epiſcopus ſuam Diæceſin luſtraverat, ac pleraque in prioribus Synodis ſalubriter conſtituta, temporum injuria, animique ad vetita proclivitate minus religioſe obſervari animadverterat, hoc anno die vigeſima tertia Septembris Synodum habuit, in qua

Harz. Concil, Germ. tom. 9.

Sæc. XVII. A. C. 1652.

qua priores Constitutiones innovaturus, præprimis Domus Dei decorem summopere commendabat, præcipiens, ut SS. Sacramentum in tabernaculo bene ornato, pyxide & ciborio nitidis asservetur, & nonnisi in necessitate, & summa paupertate Ecclesiæ, calix stanneus toleretur, sæpius tamen mundetur, nec etiam Baptismus extra Ecclesias Parochiales conferatur, exceptis casibus in jure permissis. Præcepit etiam, ut confessionalia, quæ nimis prope summum Altare erant, ad Ecclesiæ navem, vel alium locum commodiorem transferantur. Monuit etiam Pastores, ut non sint difficiles in licentia concedenda suis Parochianis, ut confiteantur alteri Sacerdoti sæculari vel Regulari approbato. Nullo autem modo permittendum censuit, ut Catholici copulentur cum hæreticis; licet enim ejusmodi matrimonia in terris, ubi Catholici mixtim vivunt cum hæreticis, permittantur, quia tamen hæc libertas in ditionibus Regis Catholici non viguit, hinc nullos nisi confessos & communicatos & quidem sub Missa copulari permisit; prohibuit denique, ne supplicationes publicæ cum armis & bombardis, aliisque ejusmodi distractionibus celebrentur.

Eodem

Eodem anno die decima nona Octobris Cstristophorus Bernardus a Gallen Monasteriensis Episcopus in eadem urbe, in qua paulo ante Imperii pax confecta erat, nunc quoque Ecclesiæ decorem salutaribus decretis restaurare decrevit, celebrata hanc in rem Synodo Diæcesana, in qua præcipue Clericos admonuit, ut a suspectis mulieribus, ebrietate, lusu, simonia, aliisque vitiis serio abstineant, ne Protestantes, quibuscum conversari coguntur, Catholicis exprobrent, quod Cleri & Pastorum vita ac mores cum doctrina, & fidei confessione parum concordent: Eapropter omnes Clericos hortabatur Episcopus, ut ad morum emendationem in præcedentibus Synodis toties statuta diligenter observari velint. Sæc. XVII. A. C. 1652.

Denique Maximilianus Henricus Coloniensis Archiepiscopus, simulque Hildesheimensis Antistes die duodecima Aprilis hoc anno suam habuit Synodum, in qua sanctiones pro reformatione in prioribus Conciliis factas collegit, & confirmavit.

§. X.

Diversæ Sacrarum Congregationum Constitutiones.

Sum-

Sæc. XVII. A. C. 1652.

Decis. SS. Congr. Episc. Rit. & Imm.

Summo Pontifice Innocentio X. graviter decumbente, hoc anno nonnisi duæ emanarunt Constitutiones, in quarum una, fors occasione infausti Mascambruni, die septima Februarii interminata anathematis pœna prohibitum, ne Romanæ Curiæ Judices transumpta supplicationum pro beneficiis Ecclesiasticis aliisque gratiis nec etiam literas & mandata de adipiscenda possessione ejusmodi beneficiorum, concedant, antequam literæ Apostolicæ desuper fuissent expeditæ: Præcepit insuper Pontifex, ut in Italia supprimantur Conventus, in quibus ob exiguum Religiosorum numerum Regularis disciplina observari nequit. Die autem vigesima sexta Aprilis sacra Episcoporum Congregatio decidit, quod Pileus Episcopi debeatur Ecclesiæ, ubi jacet ejus Corpus, non autem Cathedrali: pariter S. Concilii Congregatio declaravit, quod Episcopus non valeat cogere Clerum totius Diœcesis, ut intersit supplicationi in die Corporis Christi: decisum quoque legitur die secunda Augusti a S. Episcoporum Congregatione, quod Curatus non possit esse Monialium Confessarius, si exinde Cura notabiliter pateretur, nec Pœnitentiarius valeat occupari a Capitulo in Missionibus vel aliis, per quæ distraheretur a Confessionibus

nibus in Ecclesia excipiendis, saltem in diebus Dominicis & festivis. Censuit quoque die septima Septembris S. Concilii Congregatio, quod in Ecclesia Collegiata non possit absque Sedis Apostolicæ licentia asservari SS. Eucharistiæ Sacramentum, nisi sit Parochialis. Denique Episcoporum Congregatio die octava Novembris statuit, quod non modo Puella vel Vidua, quæ ad suscipiendum habitum temere ingreditur, sed etiam Abbatissa illas suscipiens, incidant in censuras: de cetero autem Monialium confessionalia ita sint tecta, ut ab aliis confessiones audiri non possint.

Sæc. XVII. A. C. 1652.

§. XI.

Hieronymi Verospii Cardinalis extrema.

Ex Purpuratis, qui hoc anno obiere, nonnisi tres occurrunt; & quidem primo decessit Hieronymus Verospius patria Romanus, qui Doctoratus lauream emeritus ab Urbano VIII. juvenis adhuc in Rotæ Romanæ Auditorem renuntiabatur; cum autem inter ceteros doctrina, pietate, aliisque virtutibus emineret, Romana etiam Purpura, & postmodum Auximana Ecclesia ab eodem Pontifice honorabatur: demum vero

Tuld. Hist. temp. l. 1. Ciacon. in vita Urban. VIII.

Sæc. XVII. A. C. 1652. vero die decima quinta Januarii obiit ſepultus in Epiſcopatus ſui Eccleſia.

§. XII.

Marcellus Lantes Cardinalis mortuus.

Ciacon. in vita Pauli V. tom. 4.

EJusdem anni die vigeſima nona Aprilis idem æternitatis iter Romæ ingreſſus eſt Marcellus Lantes pariter patria Romanus, qui a Clemente VIII. Cameræ Apoſtolicæ Auditor, a Paulo V. Presbyter Cardinalis & Tudertinus Epiſcopus nominabatur: Enituit in hoc Cardinale ingens promovendi Divini cultus ſtudium, quo incitatus Clericorum Seminarium, Franciſcanorum Eccleſiam unacum Cænobio, Templum S. Mariæ apud Portam Angelicam, & vicinum Monaſterium præter Eccleſiam & Monaſterium Monialium Carmelitarum Diſcalceatarum ſuo ære aut erexit, aut promovit: Templum quoque S. Mariæ in Foro boario amplius exornatiusque, necnon domum pauperum S. Sixti, Xenodochium Fratrum Miſericordiæ in Inſula Tyberina, & Palatium Epiſcopale unacum Seminario in urbe Veltrenſi exſtrui curavit, ac proventibus auxit, maximamque ſuarum opum partem in pauperes effudit.

§. XIII.

Sæc. XVII.
A. C. 1652.

§. XIII.

Julii Romæ Cardinalis obitus.

Postremus denique erat Julius Roma, nobilis Mediolanensis, qui literis apprime excultus, a Paulo V. Romam evocabatur, atque ab eodem Pontifice *Consistorialis*, ut vocant, Advocatus, postea Burghesianæ Familiæ Caussidicus, ac demum utriusque Signaturæ Referendarius, pluriumque urbium Gubernator renuntiatus est: cum autem publicis hisce officiis mira integritate fungeretur, paulopost Romana Purpura, necnon Episcopatu Lauretano & Recinetensi donatus est, demum ad Tiburtinam Ecclesiam translatus, ubique suæ munificentiæ, pietatisque monumenta reliquit. Floruit præcipue Julius temperantiæ, pudicitiæ, æquitatis, ac Religionis studio. Tandem vero die & hora, qua natus est, decima sexta Septembris anno ætatis suæ sexagesimo octavo Romæ decessit.

Attichy hist. Card.

§. XIV.

Res Romæ in caussa Janseniana gestæ.

Jamjam die quinta Decembris anni prioris Broussæus, Delalane & Angranus,

Hist. des cinq Prop. Jansenis. Hist. Brov. pag. 47.

Sæc. XVII. A. C. 1652.

granus, quos undecim Galliarum Episcopi pro tuendis quinque Jansenianis propositionibus deputaverant, Romam advenere: cum autem Broussæus propter ægritudinem in Gallias reversus esset, in ejus locum Pater Desmaresius & Manessierus submissi die quarta Maij anni sequentis Romam ingressi sunt. Hos primum die vigesima quarta ejusdem anni & Mensis Hallierus, Lagotus, & Joyselius ab octoginta octo Episcopis eo ablegati sequebantur, nihilominus tamen ad nuperas Præsulum literas Innocentius jamjam die vigesima Aprilis anni prioris primam habuit Congregationem, in qua Cardinales primo inter se, postea cum ipsis Consultoribus nominatis rem secreto ventilarunt, tandem decernentes, caussam esse repetendam ab examine eorum, quæ in caussa Baii antea fuissent agitata: quamvis autem Jansenianis Deputatis hæc Congregatio non fuisset denuntiata, nihilominus hi vix Romam appulsi, die vigesima prima Januarii hoc anno unacum Santamoreo Doctore Papam rogarunt, ut hæc controversia partibus tum voce tum scriptotenus auditis, omnibusque Scripturis mutuo communicatis, habitisque desuper disputationibus, uti in Congregationibus de Auxiliis factum, discuteretur: idem quoque petebant, Ordinis Præ-

Prædicatorum & Auguſtinianorum præpoſiti Generales, oblato hanc in rem libello ſupplici: verum his repoſuit Pontifex, quod Janſenii libro per Urbanum VIII. jam damnato, ſublatisque difficultatibus contra ejusdem Pontificis Bullam motis nil ſuperſit, niſi ut eidem omnes obtemperarent: nullatenus vero de auxiliis quæſtiones reſuſcitare, aut illarum Congregationum normam imitari, expediret, de cetero autem Auguſtini doctrina in tuto eſſet, dummodo illa ab utraque parte juxta Eccleſiæ ſenſum intelligeretur: Diſplicuit hoc Pontificis reſponſum pro tuendo Janſenio deputatis Oratoribus, qui per Franciæ Regis Legatum ſummo Pontifici die vigeſima tertia Februarii ſupplicem obtulerunt libellum, in quo inter cetera declarabant, ſe duntaxat impugnare gratiam Moliniſticam libero arbitrio ancillantem, propugnare autem gratiam efficacem in notis hiſce quinque propoſitionibus, de cetero nil ſibi curæ eſſe de Janſenio, ejusque libro: Poſtea hi Menſe Martio ſingulos Cardinales & S. Officii Conſultores viſum ibant, qui tamen hos Deputatos minus integra fide rem gerere cenſebant, eoquod ſub ſpecioſo gratiam ſufficientem Moliniſticam impugnandi, & Thomiſticam efficacem defendendi obtentu efficacem gra-

Sæc. XVII. A. C. 1652.

Sæc. XVII. A. C. 1652.

gratiam in Janſenii ſenſu, id eſt, gratiam victricem per ſuperiorem ac relativam delectationem tueri adlaborarent: ne vero privatum ſuum judicium ſequi viderentur, die undecima Julii Roma Cardinalis hoſce Deputatos & poſt octiduum Epiſcoporum Oratores adeſſe juſſit, eisdem declarans, quod ſummus Pontifex pro diſcutiendis quinque propoſitionibus peculiarem inſtituiſſet Congregationem, in qua tam hi, quam illi ſuarum rationum momenta circa præſentem controverſiam ſcriptotenus exhiberent, ut ſummus Pontifex illa diſcutere, ſuumque deſuper judicium ferre poſſet: Haud cunctanter Cleri Gallicani Oratores ſuas tradiderunt rationes, Janſeniani vero Deputati duo exhibebant ſcripta, in quorum primo cuncta, quæ circa hoc negotium a prima Julii anno 1649. usque ad undecimam ejusdem Menſis, hujusque anni geſta fuiſſent, enarrantes petebant, ut quinque propoſitiones in ſenſum Auguſtinianum, & erroneum diſtinquerentur, in altero autem ſcripto S. Auguſtini doctrinam univerſæ Eccleſiæ auctoritate confirmari oſtendebant.

§. XV.

Congregationes in hac controverſia habitæ.

Inte-

Interim Roma Cardinalis die decima sexta Septembris mortalitatem exuit, cui Cardinalis Spada subrogatus, tanquam institutæ Congregationis Decanus undecim Consultores ad suas ædes die vigesima quarta Septembris convocabat, eisque deliberandum proponebat, utrum præfatæ propositiones, prout spectantur in semetipsis ac prout ipsæ per se sonant, vel prout in Jansenii libro jacent tam quoad verba, quam quoad verborum vim, & sententiam sint discutiendæ: cum autem Franciæ Episcopi in suis literis hanc controversiam ex Janseniani libri doctrina exortam fuisse retulissent, hinc Cardinales deputati censuerunt, has quoque propositiones ex Jansenii libro juxta ejusdem Jansenii sensum, ab illis vero, quibus hic liber ad manus non est, illas prout juxta terminorum sensum sonant, esse dijudicandas. Verum Episcoporum Deputati insuper instabant, ut singulæ hæ propositiones relative ad Jansenii librum, utpote unicum controversiæ fontem, suis censuris perstringerentur. Annuit horum votis Cardinalis Spada, & quidem propositio prima in Sessionibus die prima, octava & trigesima Octobris, necnon die sexta & decima tertia Novembris discutiebatur, circa secundam vero propositionem

Sæc. XVII. A. C. 1652.

Sæc. XVII. A.C. 1652. celebratæ fuerunt tres Sessiones die decima octava, vigesima, & vigesima quinta Novembris: denique de propositione tertia jam die vigesima septima agi cæptum, illiusque examen die secunda, quarta, nona & undecima Decembris fuit continuatum. Tandem vero quarta propositio die decima sexta, decima octava & vigesima tertia ejusdem Mensis examini subjecta est. Interim Janseniani Oratores apud Pontificem & Cardinales Deputatos rursus instabant, ut controversia mutuis scripturis & publicis disputatiouibus discuteretur: ad quæ summus Pontifex per Cardinalem Spadam respondit, quod ipsi in proxima Congregatione die vigesimo septimo Januarii habenda comparere possent: Verum hi disputandi copiam sibi denegari haud ignari, reposuere, quod rem aliter quam disputando agere, prohibiti essent, atque ab Episcopis in mandatis haberent, ut futuræ definitioni, si ad præscriptas Ecclesiæ leges non conderetur, sed ab Albizio aliisque a Jesuitarum nutu pendentibus Viris præcipiti judicio fieret, non obtemperarent: Enimvero præfatus Cardinalis, proposito Congregationum de auxiliis exemplo ejusmodi disputationes ad decidendam controversiam nec utiles, nec convenientes esse expo-

expoſuerat, nihilominus hi ſuo petito firmiter inſtiterunt: E contrario autem Epiſcoporum Deputati oblatam colloquii copiam gratanter acceptarunt: paulopoſt tamen ceteri Franciæ Oratores Romæ Divi Auguſtini opuſcula typis edi curarunt, ut ea Patris Franciſci Annati Jeſuitæ libro opponerent.

Sæc. XVII. A. C. 1652.

§. XVI.

Quorundam Scriptorum Catholicorum obitus.

Ex pluribus Scriptoribus Religione Catholicis nonniſi ſequentes adducere, operæ pretium exiſtimavimus, atque inter illos primus occurrit Felix Cantelorius utriusque Signaturæ Referendarius, qui narrationem concordiæ inter Alexandrum III. Papam, & Fridericum I. Imperatorem, necnon indicem legalium Authorum materias tractantium, de præcedentia & ſocietatibus Officiorum, de Præfecto Urbis, genealogiam familiæ Comitum Romanorum, Elenchum Cardinalium, genealogiam Mathildis Comitiſſæ, pluraque alia typis vulgavit, obiitque Romæ die vigeſima octava Septembris anno ætatis ſuæ ſexageſimo tertio. II. Rolandus Hælant Ciſtercienſis edidit Normam Superiorum Regularium ad recte

Dupin. Bibl. des Auth. du Siecl. XVII.

Sæc. XVII. A. C. 1652.

gubernandum, ſpeculum veræ converſionis ad vitam religioſam, tractatum de mortificatione & remediis paſſionum, & libellum de prudentia & diſcretione Confeſſariorum Sanctimonialium. III. Joannes Maria Caſtillenti Minorita ſcripſit Seraphicam Theologiæ moralis Polyantheam. IV. Petrus de Caſaneuve Monachus, qui publici juris fecit librum de inſtitutione Nobilium, Puerum Jeſu, vitam S. Edmundi Regis, Cataloniam Gallicam, & alia quamplurima opuſcula. V. Dionyſius Petavius Jeſuita, qui eruditum opus ſcripſit de doctrina temporum, & rationarium temporum: notis etiam illuſtravit opera Epiphanii & Syneſii, cujus aliquam epiſtolam adeo difficilem cenſuit, ut ſe eam intelligere nequiviſſe, ingenue faſſus ſit: imprimi quoque curavit Nicephori Breviarium Hiſtoriæ, ubi plura Libri V. capita, quæ in Auguſtiniano Manuſcripto defecerant, invenit, & unacum Hiſtoriæ Sæculi VII. & VIII. compendio edidit. Celebratur præcipue ipſius opus de Theologicis dogmatibus, in quo ſecluſis Scholaſticis quæſtionibus dogmata ex Conciliorum & Patrum doctrinis explanavit, inſimulatur tamen ab aliquibus, quod plurima ex Auguſtini Oregii Theologia poſitiva deſcripſerit. Edidit inſuper paraphra-

ſin

ſin Pſalmorum & Canticorum, Diatribam de poteſtate conſecrandi, paraphraſin in Eccleſiaſten, & præter plura alia, Miſcellaneas exercitationes adverſus Salmaſium ſub ementito nomine Antonii Kerkoetii Aremorici. Deceſſit Petavius Pariſiis die undecima Decembris annos natus ſexaginta novem. VI. Jacobus Sirmondus itidem Socius, qui ſub nomine Jacobi Cosmæ Fabritii edidit Notas ſtigmaticas ad *Magiſtrum triginta paginarum*, ſeu Edmundum Richerium. Collegit quoque omnia Franciæ Concilia, carpitur tamen a Petro Aurelio, quod Canonem II. Concilii I. Arauſionenſis ita reddiderit: *Ut non neceſſaria habeatur repetita charismatio*, cum tamen in antiquioribus editionibus particula *non* omiſſa legatur. Scripſit etiam cenſuram de ſuburbicariis Regionibus, collectanea Anaſtaſii Bibliothecarii, Hiſtoriam publicæ pœnitentiæ & de Azymo, opera Theodoreti, Hiſtoriam prædeſtinatianam, Hiſtoriam S. Caroli Flandriæ Comitis & Leonis X. præter plura veterum Scriptorum opera, quæ notis illuſtravit, & veluti ex oblivionis pulvere extraxit. Obiit die ſeptima Octobris anno ætatis ſuæ nonageſimo tertio. VI. Franciſcus de Lugo ex eadem Societate ſcripſit commentaria in primam partem D. Thomæ, di-

Sæc. XVII. A. C. 1652.

Sæc. XVII. A. C. 1652

ſcurſum prævium ad Theologiam moralem, quæſtiones morales de Sacramentis &c. VII. Nicolaus Lancitius Jeſuita, edidit opuſcula ſpiritualia, octo monita pro Nobilitate Polona, gloriam S. Ignatii, & tractatum de inditiis & gradibus profectus in virtutibus. VIII. Stephanus a S. Joanne Evangeliſta Bruxellenſis Carmelita Diſcalceatus edidit Hiſtoriam Antiſtitum, & Civitatis Ultrajectenſis præter Hiſtoriam ſeu crudele Martyrium V. Dionyſii, & Redempti Carmelitarum. IX. Ignatius a Jeſu ex eodem Ordine Miſſionarius in Oriente edidit narrationem originis, Rituum & errorum Chriſtianorum S. Joannis Baptiſtæ, & tractatum adverſus triginta quatuor errores eorumdem Chriſtianorum, typis ſacræ Congregationis de Propaganda Fide. X. Elias a Jeſu Anglus Carmelita Diſcalceatus elucubravit opus de antiquis Monachis Inſularum Britanniæ ſub primitiva Eccleſia viventibus, necnon ſex tomos ſub titulo *Anglia Sancta & Catholica* ſeu vitæ Sanctorum Britonum veterum & recentiorum.

§. XVII.

Quidam Scriptores ex Proteſtantibus hoc anno defuncti.

Præter

Præter hos ex Proteſtantibus quoque Scriptoribus nonnulli hoc anno denati ob ſuas lucubrationes celebrantur, atque inter eos præprimis Balthaſar Balduinus, qui edidit reſponſionem ad quæſtionem: *ubi vera Religio ante Lutheri tempora fuerit?* alium etiam librum vulgavit ſub titulo: *Papa & Papatus proprio gladio jugulatus.* II. Jeremias Reusnerus ſcripſit diſputationes de fato, præmiis & pœnis, hoſpitatione militari, exemptione Clericorum, & de conſuetudine, præter decadem controverſiarum juris. III. Jacobus Groſſius, edidit Triadem Propoſitionum Theologicarum, Antichriſtum Orientalem ex vaticiniis Propheticis, Anti-Primatum contra Papam, Vindicias Lutheri, Comparationem Germaniæ cum Nebucadnezare, & Currum Pacis ſpiritualis. IV. Jacobus Godofredus prælo ſubjecit ſua commentaria in Philoſtorgi Hiſtoriam Eccleſiaſticam, & in Tertullianum, ſcripſit quoque de interdicta Chriſtianorum cum gentilibus communione, de imperio maris, de electione Magiſtratus, & velandis mulieribus, præter alia juridica opuſcula. V. Claudius Salmaſius, edidit librum de Primatu Papæ, de regionibus & Eccleſiis ſuburbicariis contra Sirmondum, notas in Tertullianum de Pallio, confu-

Sæc. XVII. A. C. 1652.

Witte Diar. Biogr. Ebert. Leor. erud. Hofmann. Lex. Freher Theatr. erud.

Sæc. XVII A. C. 1653

tationem notarum larvati Theologi in dissertatione de Trapezitis, præter alia quam plurima sat erudita opuscula.

§. XVIII.

Imperii comitia Ratisbonæ continuata.

Pufend. l. 3. §. 49. Pfanner l. 1. §. 7. & seq. Tulden. Hist. temp. l. 2.

Inter præcipua, quæ in comitiis Ratisbonensibus agitabantur, negotia præprimis componebatur acrior contentio Suecos inter & Brandeburgicos; postquam enim Cæsar datis ad Sueciæ Reginam literis eidem denuntiaverat, quod Suecis nec investitura, nec suffragii, nec Sedis facultas in Imperii comitiis esset concedenda, nisi prius Electori Brandeburgico ulteriorem Pomeraniam reddiderint, Sueci quidem Cæsareo hoc decreto offensi, discessum e Ratisbonensi conventu simulabant, jactatis etiam belli minis: nihilominus tamen die decima octava Januarii habito Stetini Procerum conventu, omnis controversia fuit composita, & die decima sexta Junii Pomerania Brandeburgicis fuit tradita. Decisis quoque aliis controversiis Electores, postquam de modo & ordine sedendi, & procedendi in Collegio Electorali invicem transegerant, omnium consensu ineunte Mense Aprili, Romanorum Regem esse eligen-

eligendum decreverunt, ſimulque pro electionis loco Auguſtam Vindelicorum deſignarunt. Cum autem Ferdinandus III. Imperator Lutheranis in ſuis ditionibus nunquam liberæ ſuæ ſectæ exercitium indulgere vellet, veramque Religionem per Auſtriam in tantum reſtituiſſet, ut Communio nonniſi ſub una ſpecie ſumi permitteretur, omnesque, qui huic præcepto non obtemperarent, vel ſolum verterent, vel Catholicis aſſociarentur, exin nova inter ruſticos oriebatur ſeditio, cujus Primores die decima tertia Maij ex Auſtria inferiore Ratisbonam literas ad Imperatorem dederunt, in quibus petebant, „ut Cæſar „ab incæpta per Auſtriam reformatione „deſiſteret, & Proteſtantibus concede„ret, ut tum novis tum antiquis frui „poſſent Privilegiis; cum indignum „Chriſtiano Orbi videretur, ſi Judæis, „qui jure explodendi ſunt ab omnibus, „major libertas & quies indulgeatur, „quam Evangelicis puriſſimæ Chriſtia„nitatis cultoribus: illos autem in Im„perio tolerari, protegique, hos vero, „niſi mutent ſacra, Imperii finibus eli„minatos acriter diripi, & tantum non „ignibus ſubjici, notum eſſet: Cæſar „igitur clementiæ ſuæ memor, animo„rum tranquillitati, pacisque Religio„nis firmitati conſuleret, & Auguſtanæ „Con-

Sæc. XVII. A. C. 1653.

Sæc. XVII. A. C. 1653.

„Confessioni addictos utpote veros Christianos non aversaretur, neque Imperio exigeret: sed quantum fieri posset, tueretur & foveret.„ Attamen Imperator hos Protestantes ad Osnabrugensis pacis observantiam remittebat, ipse vero die vigesima Maij Ratisbona Augustam unacum Ferdinando IV. ejus Filio profectus est, ubi die trigesima prima Maij idem Ferdinandus Bohemiæ Rex ab Imperii Electoribus in Regem Romanorum conspirantibus in unum suffragiis eligebatur; quo facto omnes Imperii Ordines Augusta Ratisbonam contenderunt, ubi die decima octava Julii novus Romanorum Rex a Joanne Philippo de Schönborn Moguntino Electore coronatus est, reclamante licet desuper Electore Coloniensi, qui huic solemnitati studiose non interfuit, ut antiquum imponendi diadematis jus sibi recens ereptum minus moleste ferret. Præterea Principum nonnulli ægre ferebant Ferdinandi electionem certo nondum constituto modo, vivoque Imperatore factam, necnon Capitulationem, ut vocant, conficiendi jus solis Electoribus adjudicatum: insuperhabita tamen illorum oppositione Imperator varias controversias ex pace Westphalica exortas composuit, & hucusque in comitiis agitata & decisa unacum Osnabru-

nabrugensi & Monasteriensi pacis instrumento confirmavit, quamvis Scipio Heius Apostolicæ Sedis Nuntius ac Pisanus Archiepiscopus adversus omnia ea, quæ tam in Westphalia quam Ratisbonæ in damnum Ecclesiæ Romano-Catholicæ decreta fuissent, palam reclamasset. Porro in iisdem Comitiis Poloni auxilia contra Cosaccos petebant, ob infirmam tamen Imperii conditionem repulsam ferebant, die denique quarta Augusti Eleonora Imperatrix a Moguntino Electore coronata est, rursus sese opponente Coloniensi Electore.

Sæc. XVII. A. C. 1653.

§. XIX.

Continuatæ Sessiones Romanæ in caussa quinque Propositionum Jansenii.

Hoc item anno die decima tertia, decima quinta, & vigesima Januarii tres habebantur Sessiones, in quibus quinta Jansenii propositio ea profecto diligentia, qua major desiderari haud posset, fuit discussa; altera die habebatur Congregatio, cui tamen Janseniani, licet sæpius a Cardinale Spada invitati, adesse noluerunt. Postquam die vigesima septima ejusdem Mensis Episcoporum Deputati, prout Cardinalis Spada eis

Wadingh. defens. de l'Eglis. Rom. pag. 415. Hist. des cinq. Prop. lib. 1. Vid. supra lib. 102. §. p. 777.

Sæc. XVII. A.C. 1653.

eis denuntiaverat, ad publicum Cardinalium & Consultorum consessum admissi fuere, ex illis prior Hallierus satis erudito sermone adversus Jansenii & sequacium doctrinam, mores & vitam perorabat, simulque de iis querebatur, quod Parisiis Sorbonam & Hibernos eorum sententiæ adversantes divexarint, atque ad Regium Senatum provocarint; tandem vero impense rogabat, ut Pontifex notas quinque propositiones condemnaret. Finita Hallieri oratione reliqui duo Oratores suas quisque rationes exposuere, atque in unica Sessione totum negotium absolverunt. His auditis Sessio sequens ad diem tertiam Februarii indicta est, qua Albizius Congregationis Secretarius Consultorum suffragia palam prælegit, ubi deprehensum, quod omnes in sensu Jansenii cunctas quinque propositiones perstrinxissent, exceptis Viscontio Augustinianorum Generali, Vincentio Candido, & Pretio Dominicanis, & Luca Wadingho, qui palam declararunt, quod Jansenium censuris notare haud vellent. Die autem decima quarta ejusdem Mensis Cardinalis Chisius Santamoreo objecit, quod spreto Pontificis interdicto ipse, ejusque socii in suis scriptis controversiam de auxiliis innovari sategissent: ad hoc autem respondit

Santa-

Santamoreus, ſine hujus argumenti diſcuſſione de quinque propoſitionibus recte judicari haud poſſe, ſeque ſperare, Papam in diſputationis progreſſu de hujus diſcuſſionis neceſſitate convictum iri: petere autem, ut præfatæ propoſitiones non in *abſtracto*, ſed cum diſtinctione ſenſuum, & ſpectata ſubſtantia doctrinæ controverſæ notarentur: Sub idem tempus Pontifex omnia Conſultorum ſuffragia, cunctaque in hac Congregatione agitata ipſus diſcuſſit, & per Ginettum Cardinalem Deputatis ſignificari juſſit, quod proxima die decima Martii eorum rationes ipſemet excipere vellet. Præfixa igitur die præſentibus quatuor Cardinalibus Deputatis, cunctisque Conſultoribus Pontifex declarabat, quod perlectis, diſcuſſisque Conſultorum ſuffragiis præſentis controverſiæ momenta plene quidem aſſecutus eſſet, ne tamen inauditis partibus ad nudam aliorum relationem cauſſam decidiſſe redargueretur, omnes Deputatos ipſus audire eo fine conſtituiſſet, ut demum implorato Dei auxilio per publicas preces in tota urbe decretas Eccleſiæ tranquillitatem ſua deciſione a Franciæ Præſulibus & univerſo Chriſtiano orbe tantopere exo tata ad Religionis emolumentum reddere valeret. Poſtea Pontifex in prima Congrega-

Sæc. XVII. A. C. 1653.

Sæc. XVII. A. C. 1653.

gregatione declarabat, nolle se, ut ullum omnino præjudicium doctrinæ SS. Augustini & Thomæ inferatur. Absoluto Pontificis sermone Albicius primam prælegit propositionem, circa quam Consultorum quisque suam præferebat sententiam, censentes, illam *in sensu Jansenii esse erroneam, ac hæreticam, vel saltem hæresi proximam:* Ex ipsis autem hisce Consultoribus illi quatuor, qui jam in Congregatione die tertia Februarii habita Jansenio favebant, rursus aut Jansenium excusarunt, aut eas propositiones in Jansenii sensu damnare renuerunt. Nihilominus Pontifex Mense Martio & Aprili decem omnino Sessionibus immota patientia per integras quatuor horas semper interfuit, die autem septima Aprilis in postrema Sessione Cardinalibus præcepit, ut privatim inter se conferrent, qua ratione cum illis Deputatis, qui pro Jansenio & quinque Propositionibus starent, agendum censerent: Hi igitur die decima octava ejusdem Mensis collatis inter se consiliis judicarunt, nil magis expedire, quam ut illis Pontifex, præsentibus Cardinalibus & Consultoribus, publicì conventus copiam offerret.

Interim vero Pater Desmaresius Congregationis Oratorii Sacerdos, & Manessierus Sorbonæ Doctores Brousseo sub-

ſubrogati Romam venerunt, ac per Franciæ Legatum ad ſummum Pontificem introduci petierunt. Hi ergo die quarta Maij conceſſa alloquii copia Pontifici exponebant, ſe in ceterorum Deputatorum ſubſidium a Franciæ Epiſcopis eſſe ſubmiſſos, eorumque nomine impenſius efflagitare, ut cum ſuis æmulis atque adverſa parte coram ſua Sanctitate diſputare, ſuaque ſcripta mutuo conferre permitterentur: ad hæc vero repoſuit Pontifex, quod perperam ſupponerent, ſe habere partem ſibi adverſam, cum nec ageretur de lite dirimenda, nec Epiſcoporum Deputati in *contradictorio*, ut vocant judicio, audiri petiiſſent, nec oppoſitam partem agere intenderent, ſed unice de notandis propoſitionibus quibusdam pertractari peterent: de cetero autem per diſputationes, quæ in infinitum protrahi poſſent, pacem Eccleſiæ reddendi ſpem quidem ſupereſſe nullam, nihilominus ſe eos audire, eorumque ſcripta pervolvere paratiſſimum fore. Accepto hoc reſponſo Deputati, ut Papæ juſſis obtemperarent, ſeſe eidem ſiſtere decreverunt, quamprimum illos nulla parte præſente, accerſitos audire ipſi placuerit. Die igitur decima nona Maij quinque præfati Deputati coram Pontifice, Cardinalibus, & Conſultoribus

Sæc. XVII. A. C. 1653.

Sæc. XVII. A. C. 1653. ribus ad alloquium admissi comparuerunt, ubi Abbas de Lalane per integram ferme horam perorans declarabat, quod instigantibus Jesuitis, necnon Episcoporum Deputatis, quos mala fide, abjectoque pudore in rebus ad fidem spectantibus egisse insimulabat, quinque hæ propositiones unice ad evertendam S. Augustini doctrinam & auctoritatem consarcinatæ fuissent, postmodum sermone ad binas circiter horas protracto idem Abbas Pontifici de quinque novis scriptis, quæ ipsi in Jansenianæ doctrinæ favorem composuissent, præviam cognitionem præbere sategit: absoluta autem ejus oratione tandem Pater Desmaresius pluribus demonstrare nitebatur, quod sola gratia ex se efficax ad omne bonum sit necessaria, omnisque alia gratia præter istam non sit Christi, sed Pelagii gratia.

§. XX.

Scriptum a Jansenii Defensoribus summo Pontifici oblatum.

Postquam P. Demaresius suum sermonem longius protraxerat, atque ingruentes noctis tenebræ ipsum præpedirent, ne textus in sententiæ suæ favorem allegatos prælegere posset, summus Pontifex huic Sessioni finem imposuit,

posuit, ceterique Deputati haud ultra coram Papa audiri postulantes, priusquam discederent, quinque nova eorum scripta, quibus Jansenii librum a censura subducere nitebantur, obtulerunt, ex quibus unum erat in tres columnas dispertitum sub titulo: *Brevissima quinque propositionum in varios sensus distinctio, apertaque de iis tum Calvinistarum ac Lutheranorum, tum Pelagianorum ac Molinistarum, tum S. Augustini, ejusque Discipulorum sententia.* Huic scripto nomen suum Romæ die decima nona Maij apposuere omnes quinque Jansenistarum Deputati. Quoniam vero præ reliquis quatuor scriptis hoc idem magis celebre est, mentemque eorum, qui tum Jansenistæ dicebantur, apertius demonstret, illud integrum ex Bibliotheca Sorbonica depromptum huc adducere lubet; erat autem tenoris sequentis.

Sæc. XVII. A. C. 1653.

Beatissime Pater.

Episcopi Galliarum, quorum votis atque expectationi Vestra Sanctitas satisfacere se velle testatur, circa quinque Peopositiones controversas judicium ab ipsa postulant, quod & veritatem dilucidare ac confirmare

Sæc. XVII. A. C. 1653. *& controversias componere, & pacem Ecclesiæ restituere idoneum sit.*

Petunt ergo ut de iis, quæ in controversiam inter nos & adversarios vocata sunt, expressam sententiam ferat, non de iis, de quibus nulla contentio, nulla quæstio, nulla difficultas exorta est.

Hoc ex variis omnium Episcoporum, qui ad Vestram Sanctitatem scripserunt, literis manifestum est. Quapropter primum officii est, Sanctitatis Vestræ oculis id aperte exponere, de quo hinc & nos contendimus, ut de re, quæ inter nos & adversarios in controversiam vertitur, ipsi constet. De propositionibus autem non in sensu alieno, ad quem trahi possent, quique a nobis respuitur, sed in sensu legitimo, qui a nobis defenditur, *atque adeo de fide* Catholica in iis contenta, *controversia est*, deque iis sic sumptis, *distinctum ac perspicuum judicium expectatur.*

Ne igitur in toto hoc negotio ullus pateat æquivocationi, calumniæ, malignitati, dubitationi locus; veros & germanos propositionum sensus, quos sustinemus, quosque impugnant adversarii, si aliquid agunt, *ante omnia Vestræ Sanctitati quam brevissime ac dilucidissime fieri potest*

potest, exponimus, atque ex una parte errores illis contrarios, quos adversarii tuentur, & ex alia hæreses similiter illis contrarias, quas impugnare se jactitant, cum propositiones impugnant, subjicimus. Ut Sanctitati Vestræ innotescat, nos neque ad dextram, neque ad sinistram declinare, sed doctrinæ Ecclesiæ unice adhærere, & inde Calvinistarum eorumque sequacium, hinc Pelagianorum eorumque reliquiarum hæreses ac errores ex æquo detestari.

Sæc. XVII. A. C. 1653.

De utrorumque sententia circa has quinque Propositiones, & de nostra, quæ inter hanc & illam est media, aperte & sincere id quod profitemur, Sanctitati Vestræ aperimus, prætermissis atque in suum tempus ac ordinem dilatis eorum omnium, quæ asserimus, invictis ut putamus probationibus, nunc nihil aliud intendentes, quam ut primo aspectu, ac veluti in compendio exhibeamus tum id, de quo judicium fieri postulent, expectentque universi Galliæ Episcopi, tum etiam quam Catholice sentiamus.

PRIMA PROPOSITIO.

Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus & conantibus secundum Præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia.

Deest quoque iis *Gratia* qua possibilia fiant.

SENSUS HÆRETICUS.

Qui primæ Propositioni maligne affingi posset, quem tamen legitime sumpta non habet.

Justis omnibus quantumlibet volentibus & conantibus secundum præsentes quantascunque vires, quæ a gratia magna & efficaci habentur, mandata Dei sunt impossibilia. Deest quoque illis semper & quam diu vivunt, gratia, qua possint vel unum ex mandatis Dei sine peccato adimplere.

Hæc propositio est hæretica, Calviniana, aut Lutherana, & a Concilio Tridentino damnata.

PRIMA PROPOSITIO.

Ut a nobis intelligitur ac defenditur.

Aliqua Dei præcepta aliquibus justis volentibus & conantibus Invalide & imperfecte secundum præsentes quas habent vires, parvas scilicet & infirmas, seu auxilio efficaci ad plene volendum & operandum necessario destitutis impossibilia sunt proxime & complete, seu ab iis adimpleri proxime non possunt. Deest quoque illis gratia efficax, qua præcepta illis proxime possibilia fiant, seu deest illis speciale illud auxilium, sine quo justificatus, ut ait Concilium Tridentinum, in accepta justitia, id est in observatione mandatorum Dei perseverare non potest.

Sustinemus, ac demonstrare parati sumus hanc Propositionem ad fidem Ecclesiæ pertinere, & in sancti Augustini Doctrina indubitatam esse, atque a Concilio Tridentino definitam.

PROPOSITIO.

Primæ contraria ut ab adversariis defenditur.

Omnia Dei Præcepta justis volentibus & conantibus secundum præsentes quas habent vires, sunt semper possibilia per gratiam eorum libero arbitrio subjectam. Nec unquam ipsis deest gratia ad operandum vel saltem ad orandum proxime necessaria, qua possibilia fiant.

Sustinemus ac demonstrare parati sumus hanc propositionem, quæ est Molina & adversariorum, esse Pelagianam vel semi-pelagianam, quia gratiæ ex se efficacis ad singulos actus necessitatem destruit, atque ita declaratum est in Congregatione Romana de Auxiliis sub Clemente VIII. & Paulo V.

SECUN-

SECUNDA PROPOSITIO.

Interiori Gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur.

SENSUS HÆRETICUS.	*SECUNDA* PROPOSITIO.	PROPOSITIO *SECUNDÆ*
Qui Secundæ Propoſitioni maligne affingi poſſet, quem tamen legitime ſumpta non habet.	*Ut a nobis intelligitur ac defenditur.*	*Contraria, ut ab adverſariis defenditur.*
Interiori Gratiæ efficaci in ſtatu naturæ lapſæ eatenus nunquam reſiſtitur, quatenus voluntas hominis reſpectu gratiæ efficacis mere paſſive ſe habet, & veluti inanime quoddam nihil omnino agit, nec cooperatur, nec libere aſſentitur.	Gratiæ Chriſti ad ſingulos pietatis actus proxime neceſſariæ nunquam reſiſtitur, hoc eſt, nunquam illa fruſtratur eo effectu, ad quem a Deo proxime datur.	Gratiæ Chriſti ad ſingulos pietatis actus, ſeu operandi, ſeu ſaltem orandi, neceſſariæ in ſtatu naturæ lapſæ aliquando reſiſtitur, hoc eſt, illa aliquando fruſtratur eo effectu, ad quem a Deo proxime datur.
Hæc Propoſitio eſt hæretica, Calviniana, Lutherana, & a Concilio Tridentino damnata.		

Alius sensus erroneus.

Interiori gratiæ sumptæ pro simplici quadam illuminatione intellectus & suasione voluntatis in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur.

Hæc Propositio est erronea, quia talis gratia non est vera gratia Christi, ut docet S. Augustinus in lib. de Gratia Christi.

Sustinemus ac demonstrare parati sumus hanc propositionem ad fidem Ecclesiæ pertinere, & in S. Augustini doctrina indubitatam esse.

Sustinemus ac demonstrare parati sumus hanc propositionem, quæ est Molinæ & adversariorum, esse Pelagianam vel semipelagianam, quia gratiæ Christi ad singulos actus necessariæ vim & efficaciam destruit. Atque ita declaratum est in Congregatione Romana de Auxiliis.

Alius sensus erroneus.

Interiori gratiæ Christi cum adhuc parva est, & dat tantum voluntatem inchoatam, in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur, quantum ad effectum interiorem, ad quem disponit.

Hæc Propositio est falsa & erronea.

TERTIA

TERTIA PROPOSITIO.

Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas a neceſſitate, ſed ſufficit libertas a coactione.

SENSUS HÆRETICUS.	*TERTIA* PROPOSITIO.	PROPOSITIO *TERTIÆ*
Qui tertiæ Propoſitioni maligne affingi poſſet, quem tamen legitime ſumpta non habet.	*Ut a nobis intelligitur ac defenditur.*	*Contraria, ut ab adverſariis defenditur.*
Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas a neceſſitate naturali, qualis etiam reperitur in motibus indeliberatis, ſed ſufficit mera libertas a coactione.	Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas a neceſſitate infallibilitatis, ſed ſufficit libertas a coactione cum judicio rationis, ſi conſideretur præciſe eſſentia libertatis & meriti, quamquam ex ratione ſtatus ſemper reperiatur indifferentia potentiæ, qua voluntas etiam ſub gratia proxime neceſſaria, & ex ſe efficaci poteſt non velle, non tamen ut unquam ſimul cum eadem gratia non velit.	Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ requiritur in homine libertas a neceſſitate infallibilitatis, ſeu neceſſaria eſt indifferentia proxima agendi & non agendi, qua voluntas inſtructa omnibus ad agendum prærequiſitis pro ſuo nutu modo ſe flectit in unam partem, modo in oppoſitam.
Hæc Propoſitio hæretica eſt, Calviniana, aut Lutherana.	*Suſtinemus ac demonſtrare parati ſumus hanc propoſitionem eſſe Catholicam & Auguſtinianam.*	*Suſtinemus ac demonſtrare parati ſumus hanc propoſitionem, quæ eſt Molinæ & adverſariorum, Pelagianam eſſe, quia gratiæ ex ſe efficacis ad ſingulos pietatis actus neceſſariæ, poſſibilitatem deſtruit, atque ita declaratum eſt in Congregatione Romana de Auxiliis.*

QUARTA PROPOSITIO.

Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus etiam ad initium fidei: Et in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare.

SENSUS HÆRETICUS.	*QUARTA* PROPOSITIO.	PROPOSITIO *QUARTÆ*
Qui quartæ Propositioni malignè affingi posset, quem tamen legitimè sumpta non habet.	*Ut a nobis intelligitur ac defenditur.*	*Contraria, ut ab adversariis defenditur.*
Gratia Christi præveniens talis est, ut liberum arbitrium hominis ab ea motum & excitatum non possit dissentire, si velit. Aliter dicere Semipelagianum est.	Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus imperfectos etiam ad initium fidei; & in hoc hæretice sentiebant, quod vellent eam gratiam talem esse, ut voluntas illi pro nutu suo obtemperaret, vel eam respueret, seu ut ex se efficax non esset.	Semipelagiani non admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus imperfectos, nec ad initium fidei; nec in hoc errabant, quod vellent eam gratiam talem esse, ut ex se efficax non esset.
Hæc Propositio est hæretica, Calviniana, aut Lutherana, & a Concilio Tridentino damnata.	*Sustinemus ac demonstrare parati sumus hanc propositionem, quoad primam partem, quæ spectat quæstionem facti, esse veram: quoad secundam vero ad fidem Ecclesiæ pertinere, & in S. Augustini doctrina indubitatam esse.*	*Sustinemus ac demonstrare parati sumus hanc propositionem, quæ est Molinæ & adversariorum, Pelagianam aut Semipelagianam esse, quæ gratiæ efficacis ad singulos actus necessaria Catholicam fidem, & simul omnem S. Augustini authoritatem destruit. Atque ita declaratum est in Congregatione Romana de* Auxiliis.

QUINTA

QUINTA PROPOSITIO.

Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse aut sanguinem fudisse.

SENSUS HÆRETICUS.	*QUINTA* PROPOSITIO.	PROPOSITIO *QUINTÆ*
Qui quintæ Propositioni maligne affingi posset, quem tamen legitime sumpta non habet.	*Ut a nobis intelligitur ac defenditur.*	*Contraria, ut ab adversariis defenditur.*
Christus mortuus est tantummodo pro prædestinatis ita ut ii soli per meritum mortis Christi veram fidem ac justitiam accipiant.	Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus, seu nemine excepto mortuum esse, eo sensu ut omnibus nemine excepto per mortem ejus oblata sit gratia ad salutem necessaria, quam consequi in nutu arbitrii sit positum sine gratiæ ex se efficacis adjutorio.	Non est Semipelagianum, sed Catholicum dicere, Christum morte sua omnibus omnino hominibus, seu nemine excepto, communicasse gratiam proxime necessariam ad sperandum, aut saltem ad incipiendum & ad orandum.
Hæc Propositio est hæretica, Calviniana, aut Lutherana, & a Concilio Tridentino damnata.	*Sustinemus ac demonstrare parati sumus, hanc propositionem ad fidem Ecclesiæ pertinere, & in Sancti Augustini doctrina indubitatam esse.*	*Sustinemus ac demonstrare parati sumus hanc propositionem, quæ est Molinæ & adversariorum, continere doctrinam Concilio Tridentino contrariam, atque etiam esse Pelagianam, aut Semipelagianam, quia gratiæ Christi ex se efficacis ad singulos actus necessitatem destruit, atque ita declaratum est in Congregatione Romana de Auxiliis.*

Hæc

Sæc. XVII. A. C. 1653.

„Hæc ſunt Beatiſſime Pater, ad quorum omnium plenam explanationem, probationem, confirmationem a veſtra Sanctitate & verbo & ſcripto audiri poſtulavimus, & ad quorum diſcuſſionem pergere parati ſumus, quam breviſſime feret rei gravitas & amplitudo, & quam diligentiſſime patientur Sanctitatis Veſtræ curæ & occupationes. Interea jam videt ex ſupra expoſitis, nullam de Calvinianis, Lutheranisve hæreſibus inter nos atque adverſarios eſſe aut fuiſſe quæſtionem. Si illas ipſi anathematizant, ex animo eas pariter ipſi anathematizavimus, neque, cum de his hodie quæſtio non ſit, eorum impugnationem contra nos ſuſcipere poſſunt, niſi ut nos calumnientur, atque ſub illorum prætextu & involucris ſenſum Catholicum, quem ſuſtinemus, condemnationis periculo exponant, ſuumque noſtro contrarium, Pelagianum ſcilicet, & cum eo ſexaginta & amplius nefandos errores ex illo, ut oſtendemus, neceſſario conſequentes, pro fide Catholica obtrudant. Iterum atque iterum, Beatiſſime Pater, Sanctitati Veſtræ cum omnibus Galliæ Epiſcopis humillime ſupplicamus, ut de re propoſita & controverſa claram firmamque proferat Sententiam: profitemurque coram ipſa, Nos & univerſos

versos sancti Augustini discipulos ac Defensores (*qui ut olim ajebat S. Prosper ad Rufinum cap. 2. nunc etiam in ipsis his locis, in quibus adversus eum querimonia concitatur, propitio Deo ad perceptionem Evangelicæ, Apostolicæque Doctrinæ saluberrimis ejus disputationibus imbuuntur; & quotidie in membris Corporis Christi, in quantum ea ipse multiplicat, dilatantur:*) Pro indubitata tanti Doctoris, atque adeo Ecclesiæ doctrina prædictas propositiones, ut a nobis superius expositæ sunt, perpetuo defensuros, quam diu de illis expresse, ut supra expositæ sunt, intellectis, prolatum non erit (quod a Sanctitate Vestra postulamus) solemne definitivumque judicium, quo nobis aperte constet, eas in sensu, quem asserimus Catholicum, esse damnatas.

Sæc. XVII. A. C. 1653.

Quod quidem nunquam fore, Deo adjuvante, confidimus, ut vel ex eo conjicere licet, quod jam pridem omnium sermonibus percrebuerit, Vestram Sanctitatem ita sibi proposuisse de prædictis propositionibus agere, ut ante omnia statuerit, suo loco stare, & illibatam servari debere S. Augustini authoritatem, cujus doctrinæ notissima pars, & quasi summa est gratia ex se efficax, cum qua prædictæ propositiones inviolabili insolubilique nexu conjunctæ sunt, quemadmodum videre est

in

Sæc. XVII. A. C. 1653. in ipso limine scripti sequentis, in quo ejusdem gratiæ ex se efficacis ad singulos actus, necessitas solidissimis apertissimisque demonstrationibus comprobatur.

Quæ omnia Sanctitatis Vestræ correctioni ac judicio subjicimus.„

Præter hoc scriptum hi Deputati adhuc alia quatuor summo Pontifici porrexerunt, in quorum primo centum & aliquot propositiones potissimum ex Jesuitarum libris decerptæ continebantur: in secundo fusius demonstrabatur necessitas gratiæ ex se efficacis: tertio exponebatur traditio circa verum & Catholicum primæ propositionis sensum, quamvis nec ipsi hi Deputati circa hunc sensum inter se convenissent, aliis censentibus, legitimum quinque propositionum sensum esse sensum gratiæ ex se efficacis, aliis vero propugnantibus, proprium & legitimum sensum esse sensum Calvinianum, quem omnes rejicerent. Quarto demum scripto explicabantur sexaginta circiter S. Augustini loca ab Halliero, ejusque Socii contra primam propositionem producta, ubi tamen observandum censemus, quod in hoc scripto Jansenium circa gratiam sufficientem, quam negare accusabatur, vindicarint, proin simul ipsum una ex parte defenderint, ex altera accusarint, &

& Janſeniſtæ jam *ante ſummi Pontificis Conſtitutionem* varios quinque Propoſitionum ſenſus diſtinxerint, poſt editam vero hanc Conſtitutionem mox ſenſum Calvinianum, quem antea nonniſi maligne his propoſitionibus affingi poſſe, declararunt, nunc legitimum eſſe, ſenſum vero gratiæ ex ſe efficacis degenerem & improprium eſſe aſſeruerint, ad hanc vero ſententiæ mutationem coacti videntur dura neceſſitate, aut Janſenianæ doctrinæ damnationi, aut Pontificis Conſtitutioni aperte repugnandi: nunquam tamen alium ſcopulum, in quem impingerent, declinare poterant: ſi enim Calvini ſenſum cenſuerunt improprium, tum vel fateri cogebantur, quod ſummus Pontifex improprium harum propoſitionum ſenſum, intacto proprio damnarit, quod abſurdiſſimum fuiſſet, vel quod quinque propoſitiones, quas ipſimet in ſenſu proprio ſeu hæretico a nemine defendi dicebant, tam ardenter propugnarint, vel quod hæ propoſitiones in ſenſu diſtincto a Calviniano fuerint damnatæ, cumque hic alius a Janſeniano eſſe non potuerit, hunc proſcriptum ipſi ante & poſt Conſtitutionem propugnarint, proin erroris in ea damnati rei ſint.

Sæc. XVII. A. C. 1653.

§. XXI.

Sæc. XVII.
A. C. 1653.

§. XXI.

Explanatio sensus obvii harum propositionum Cardinalibus ab Halliero oblata.

Diar. p. 248. part. 5. c. 8.

Cum autem Hallierus, ejusque Socii haud ignorarent, quod Jansenii fautores hanc controversiam excogitata hac sensuum distinctione implicare, earumque examen longius protrahere quærerent; aliunde vero probe scirent, quod nec de gratia ex se efficaci, nec de versatili aut de Calvini errore ageretur, hinc Hallierus decem ante Mensibus harum quinque propositionum sensum, ut vocant, *naturalem* & obvium, quem in libro Jansenii præseferunt, explanavit, scriptumque Cardinalibus Deputatis hunc in modum obtulit.

Primæ propositionis sensus est: *mandata Dei hominibus justis, qui præcepta divina transgrediuntur, esse impossibilia defectu auxilii sufficientis, quo possint eadem adimplere, vel necessariam ad ea implenda gratiam petere.*

Jansen. l. 3. de Grat. Christi c. 13.

Nota per has voces (defectu auxilii sufficientis) non intelligi gratiam illam versatilem, quæ modo effectum suum habet, modo non habet, quæ a multis Doctoribus Catholicis refutatur; sed intelligi gratiam, quæ vere facultatem tribuat justo aut implendi pra-

præceptum, aut petendi gratiam necessariam ad illud implendum: ita ut per eam justus inexcusabilis reddatur, quando præceptum transgreditur. Sæc. XVII. A. C. 1653.

Propositionis II. sensus est, *in statu naturæ lapsæ nullam esse gratiam Christi actualem internam in voluntate residentem, cui voluntas humana de facto dissentiat.* *Ex lib. 3. de Grat. Salv. c. 4. l. 2. c. 24. 27. & 32.*

Nota, hic non attingi doctrinam sancti Augustini de gratia efficaci a se. Aliud est enim asserere, sanctum Augustinum admisisse aliquod genus gratiæ, quæ infallibiliter effectum suum consequitur, & a nullo duro corde respuitur; aliud asserere, sanctum Augustinum nullam aliam gratiam præter efficacem admisisse, quæ sufficiens sit. Primum Catholicum est; secundum nonnisi a Calvino ejusque sequacibus fuit assertum.

Quod sanctus Augustinus gratiam aliquam sufficientem admiserit, patet ex iisdem, quibus dicit, Deum justo non præcipere nisi possibile, nec justum deserere, priusquam ab ipso deseratur. Nam cum mandata Dei non reddantur possibilia nisi per gratiam, & justi non semper mandata Dei observent, sequitur, eos aliquando actu & de facto gratiæ Dei resistere.

Non itaque hic agitur de gratia sufficiente versatili statuenda, quæ modo effectum suum habeat, modo non habeat: sed tantum in genere quæritur, utrum verum

Sæc. XVII. A.C. 1653.

sit, in statu naturæ lapsæ nullam dari gra-tiam, quæ vere sufficiens sit.

Tertiæ Propositionis sensus est, *actio, quæ meritoria aut demeritoria libera censeatur, non requiritur, ut sit cum indifferentia, sed sufficit, modo volun-tarie & sine coactione fiat.*

Hæc autem sententia eadem est ac Ca-vini, qui nunquam eo sensu negavit, lib-rum arbitrium, quasi actiones nostræ volun-tatis non essent voluntariæ, sed eo sensu quod negaret nobis inesse indifferentiam ad utrumlibet.

Propositionis quartæ duæ sunt pa-tes: *Prima est facti; utrum scilicet Semi-pelagiani admiserint gratiam necessariam ad initium fidei.*

Secunda, utrum hæreticum sit dicere gratiam actualem Christi talem esse, cui pos-sit humana voluntas consentire vel dis-sentire.

Neque etiam attingitur quæstio hic de gratia efficaci a se aut a consensu, quem utriusque opinionis assertores fatentur, quam gratiam Dei possumus abjicere, juxta Con-cil. Trid. Sess. 6. cap. 5. sed tantum quæ-ritur, utrum gratia in statu naturæ cor-ruptæ talis sit, ut necessitatem inferat vo-luntati adeo, ut ei non possit dissentire, quod nullus Catholicus unquam admisit.

Hæc Propositio, supposita aliarum falsitate, necessario debet falsa judicari.

Nam

Nam si impossibilia nunquam sunt Dei præcepta justis defectu gratiæ sufficientis, cui actu resistunt, sequitur, posse gratiæ resisti: nam ab actu ad posse valet consequentia. Secundo, si certum sit, ad meritum requiri indifferentiam; cum actio, qua gratiæ Dei consentimus, sit meritoria, sequitur, consensum ei præberi cum indifferentia, ac proinde cum potentia dissentiendi.

Sæc. XVII A. C. 1653.

Denique circa propositionem quintam rursus duo quæruntur I. *quid de ea sentiendum, quatenus notam hæresis affingit communi Catholicorum Theologorum sententiæ, quæ asserit, Christum pro omnibus omnino mortuum esse.*

II. *Quatenus ex mente Jansenii, Christus non pro omnibus sed pro prædestinatorum Salute tantum mortuus est; ita ut omnibus reprobis negata sint auxilia sufficientia, quibus possint salvari.*

Hoc sensu examinata Propositione, intactæ relinquuntur difficultates, quæ occurrunt circa infantes sine baptismo decedentes, aut infideles, aut obduratos. Nam qui dicit, Christum non pro solis prædestinatis esse mortuum, non dicit consequenter pro quolibet reprobo in particulari mortuum esse, sed sufficit, quod pro aliquibus saltem mortuus sit.

Quod autem pro justis saltem non perseverantibus mortuus sit, patet ex Concil. Trid. ubi definit, justis mandata Dei non

Sæc. XVII. A. C. 1653.

esse impossibilia, quia Deus iis gratiam necessariam suppeditat. Si enim possunt observare mandata, possunt salvari, ac non nisi ex meritis Christi. Idem Sess. 6. cap. Verum, tametsi ille pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt. Ergo Christus pro iis etiam mortuus est, qui beneficium non recipiunt, at illi non alii sunt, quam reprobi.

§. XXII.

Quinque hæ Propositiones ab Innocentio Pontifice censuris perstrictæ.

Relat. Wading. p. 791. Hist. quinq. Prop. l. 1. Dupin Hist. de l'Eglis. Siecl. XVII. tom. 4.

Auditis utrinque partibus, & habitis triginta sex Congregationibus publicis, necnon longa & matura discussione ponderatis Jansenistarum scriptis, examinatisque in libro & sensu Jansenii quinque propositionibus, Pontifex Maximus indictis publicis precibus, hanc controversiam decidere statuit, ac doctissimis Viris Constitutionis normam dedit, super conficiendi curam demandavit. Non placuit tamen illorum scriptum, qui rem a Bulla Urbani VIII. longius repetebant, magis tamen probabatur norma a Chisio Cardinale & Albicio proposita, qua perlecta Pontifex centuriam ad quamlibet propositionem ipse met dictabat, eamque die vigesima sept

septima Maij plurimis Cardinalibus ac Theologis in hoc argumenti genere versatissimis, atque una congregatis exhibuit, eorumque sententiam adhucdum exploravit, simulque sub anathematis pœna singulis silentium indixit. Tandem vero die trigesima prima Maij Constitutionem suam promulgavit hujus tenoris: Sæc. XVII. A. C. 1653.

„Cum occasione impressionis libri, „cui titulus: *Augustinus Cornelii Jansenii Episcopi Yprensis*, inter alias ejus „opiniones orta fuerit, præsertim in Gal„liis, controversia super quinque ex il„lis: complures Galliarum Episcopi a„pud nos institerunt, ut easdem pro„positiones nobis oblatas expendere„mus, ac de unaquaque earum certam „ac perspicuam ferremus sententiam.

Postea relatis quinque propositionibus ita prosequitur: „Nos, quibus in„ter multiplices curas, quæ animum „nostrum assidue pulsant, illa in pri„mis cordi est, ut Ecclesia Dei nobis „ex alto commissa, purgatis pravarum „opinionum erroribus, tuto militare, „& tanquam navis in tranquillo mari, „sedatis omnium tempestatum fluctibus, „ac procellis, secure navigare, & ad „optatum salutis portum pervenire pos„sit. Pro rei gravitate coram aliqui„bus S. R. E. Cardinalibus ad id specia-

Sæc. XVII. A. C. 1653.

liter fæpius congregatis, a pluribus in „ſacra Theologia Magiſtris easdem quin„que Propoſitiones, ut ſupra nobis ob„latas, fecimus ſingillatim diligenter „examinari, eorumque ſuffragia tum „voce, tum ſcripto relata mature con„ſideravimus, eosdemque Magiſtros, „variis coram nobis actis Congregatio„nibus prolixe ſuper eisdem, ac ſuper „earum qualibet differentes audivimus.

„Cum autem ab initio hujuscemodi „diſcuſſionis ad Divinum implorandum „auxilium multorum Chriſti fidelium „preces tum privatim, tum publice in„dixiſſemus, poſtmodum iteratis eis„dem ferventius, ac per nos ſollicite „implorata ſancti Spiritus aſſiſtentia, tandem Divino numine favente, ad in„fra ſcriptam devenimus declaratio„nem & definitionem.

„Primam prædictarum propoſitio„num tanquam temerariam, impiam, „blasphemam, anathemate damnatam „& hæreticam declaramus, & ut ta„lem damnamus.„

„Secundam, hæreticam, Tertiam „pariter hæreticam & quartam uti fal„ſam & hæreticam, & denique quin„tam tanquam falſam, temerariam „ſcandaloſam, & intellectam eo ſenſu, „ut Chriſtus pro Salute duntaxat præ„deſtinatorum mortuus ſit, impiam,

„Blas-

„Blasphemam, contumeliosam, Divi-„næ pietati derogantem, & hæreticam „declaramus, & uti talem damnamus.„

Sæc. XVII. A. C. 1653.

„Mandamus igitur omnibus Christi „fidelibus utriusque sexus, ne de dictis „propositionibus sentire, docere, præ-„dicare aliter præsumant, quam in „præsenti nostra declaratione & defini-„tione continetur, sub censuris & pœ-„nis contra hæreticos, & eorum fau-„tores in jure expressis.„

„Præcipimus pariter omnibus Pa-„triarchis, Archiepiscopis, Episcopis, „aliisque locorum ordinariis, necnon „hæreticæ pravitatis Inquisitoribus, ut „contradictores & rebelles quoscunque „per censuras & pœnas prædictas, cæ-„teraque juris & facti remedia oppor-„tuna, invocato etiam ad hoc (si opus „fuerit) auxilio brachii sæcularis om-„nino coerceant, & compescant.„

„Non intendentes tamen per hanc „declarationem & definitionem super „prædictis quinque Propositionibus fa-ctam approbare ullatenus alias opinio-„nes, quæ continentur in prædicto li-„bro Cornelii Jansenii.„

Sæc. XVII.
A. C. 1653.

§. XXIII.

Summi Pontificis literæ ad Christianos Principes & Franciæ Episcopos pro recipienda ejus Bulla.

Hanc Bullam Pontifex die nona Junii Romæ pro more affigi jussit, eamque ad Cæsarem, Franciæ, Hispaniæ & Poloniæ Reges necnon ad Bavarum, Palatinum & Ecclesiasticos tres Electores, Principem Leopoldum Belgii Gubernatorem, Placentinum Episcopum supremum Hispaniæ Inquisitorem, & denique ad omnes Franciæ Episcopos transmisit. Præcipue vero ad Ludovicum XIV. Galliarum Regem eadem die sequentes dedit literas.

„Charissime in Christo Fili noster; „Salutem & Apostolicam Benedictio„nem. Constitutionem, qua post lon„gam accurati examinis indaginem, & „Spiritus Sancti lumen publice, ac pri„vatim sæpius imploratum, quid sen„tiendum sit de quibusdam propositio„nibus, declaravimus & definivimus, „Majestati tuæ cum his literis mitti„mus. Ex ea sententiam Catholicæ „fidei in gravi hoc negotio a nobis au„dies, nec dubitamus, quin eadem „futu-

„futura ſit cum populis Chriſtianis Sa- Sæc. XVII.
„lutaris, tum ſummopere grata pietati A. C. 1653.
„tuæ: cum præſertim & ipſe per Ora-
„torem tuum pro ſanctæ hujus Sedis
„ſuper his deciſione apud nos inſtite-
„ris. Majeſtati tuæ Benedictionem
„Apoſtolicam amantiſſime impertimur.„

Pariter ad cunctos Franciæ Epiſcopos unacum Bulla has transmiſit literas: „Venerabiles Fratres; Salutem „& Apoſtolicam Benedictionem. Recte „atque ordine fecit Fraternitatum ve-„ſtrarum pietas, quæ cum in Eccleſiis „iſtis propoſitionum, de quibus ad nos „ſcripſiſtis, occaſione, turbas ingentes „excitari cerneret, aſcendit ad locum hunc ſanctum, quem elegit Dominus „ut Catholicam ſuper his veritatem a „nobis quæreret.„

„Nos igitur poſt longam accurati „examinis indaginem, & preces lumi-„num Patri Deo enixe porrectas, quid ſentiendum ſit de propoſitionibus illis, „declaravimus, ac definivimus hac „Conſtitutione, quam cum his literis „ad vos mittimus. Ex ea Sententiam „orthodoxæ fidei gravi hoc in negotio „a nobis audietis, nec dubitamus, quin „futura ſit cum populis Chriſtianis Sa-„lutaris, tum ſummopere grata inſigni „Zelo Fraternitatum veſtrarum, qui-

Sæc. XVII. A. C. 1653.

„bus Benedictionem Apostolicam per„manenter impertimur.„

§. XXIV.

Franciæ Episcoporum epistola ad Innocentium X. Papam occasione Constitutionis contra quinque Jansenii propositiones.

Hist. des cinq. propos. lib. 1. Argentre Collect. Jud. t. 3. p. 275.

Tam religioso silentio præfata Innocentii X. Constitutio premebatur, ut Jansenistarum Deputati illius notitiam non habuerint, priusquam die nona Junii illam publice affixam esse perciperent. Tum vero Roma excedere intenti, die decima tertia ejusdem Mensis Papam accessere, ab eodem suscitanti, utrum sua Constitutione doctrinam SS. Augustini & Thomæ perstringere intendisset? ad quæ tamen Pontifex mox reposuit, „se per celeberri„mos Theologos summo labore ac stu„dio discussis propositionibus hoc judi„cium pronuntiare coram Deo quidem „fuisse obstrictum; adeo autem firmiter „utriusque S. Doctoris doctrinam ab Ec„clesia esse approbatam, ut nullatenus „eidem præjudicium inferri posset, se „vero controversiam de gratia sub Cle„mente VIII. & Paulo V. per decem „annos agitatam rursus examinari hoc„que

„que tempore discuti noluisse, eoquod nec „hæc, nec Augustini doctrina cum Jan„senii erroribus quicquam commune haberet.„ His dictis Pontifex ex illis sciscitabatur, an præfatam Bullam vidissent, iis autem negantibus; quæ in illa continerentur, eisdem perbenigne exposuit, quo percepto Deputati filiale obsequium oretenus professi, die decima septima ejusdem Mensis & Hallierus cum suis die sexta Septembris Roma in Franciam reversi sunt. Pridie vero Episcoporum Deputatis Pontifex pariter, quæ in hoc negotio egisset, exposuit, atque cum eis per sesqui horam collocutus significavit, quod Jansenistarum Deputatos, ut illos ad saniora reduceret, paterna benevolentia dimisisset. Postea die quarta Octobris habito Patrum Senatu ceteros Cardinales de hac Constitutione ad omnes Principes Christianos transmissa certiores reddidit. Quamprimum vero Bagnius Athenarum Archiepiscopus & Papæ in Galliis Nuntius Innocentii X. Constitutionem unacum ejusdem epistola acceperat, mox illam ad Regem, Reginam & Mazarinum Cardinalem & Cleri Gallicani Procuratores detulit, eisdemque circa hoc negotium Romæ gesta fusius exposuit, quibus perceptis Mazarinus Regis nomine omnibus Episcopis tum

Lute-

Sæc. XVII. A. C. 1653. Lutetiæ agentibus denuntiari jussit, ut habito Conventu Pontificis Bullam prælegerent. Hi ergo numero triginta sex in præfati Cardinalis ædibus undecima Julii die congregati hanc Bullam unanimi suffragio acceptarunt, & quarto post die, ut debitas summo Pontifici grates rependerent, has Romam transmiserant literas, a Petro de Marca Tolosano Archiepiscopo conceptas:

Beatissime Pater!

„Optata pervenit ad nos tandem „Constitutio illa, qua vestræ Sanctita„tis auctoritate quid sentiendum sit de „controversis quinque Propositionibus, „quæ sunt excerptæ e Cornelii Jansenii „Yprensis Episcopi libris, perspicue de„cernitur. Exercitatæ in Belgio con„tentiones flagrabant etiam in Galliis, „& latissimum incendium per universas „Ecclesiæ partes minabantur, ni pesti „grassanti, & certissimam perniciem al„laturæ obstitisset Beatitudinis Vestræ „indefessum Studium, & ex alto pe„tita potestas, quæ sola acerrimam il„lam animorum collisionem compescere „poterat. Agebatur de re magni mo„menti, de aditu scilicet ad salutem „per necessaria Christianæ gratiæ præ„sidia, & humanæ voluntatis adjumen„tis

„tis illis excitatæ ac fotæ conatus li- Sæc. XVII.
„beros; atque de divina Christi pietate A. C. 1653.
„ac beneficentia in universum genus
„humanum. Hujus doctrinæ lucem
„recentioris illius auctoris disputationi-
„bus obscuratam, pristino nitori resti-
„tuit juxta veterem fidei regulam ex
„Scripturis, & antiqua Patrum tradi-
„tione, in Conciliis olim, & nuper au-
„ctoribus summis Pontificibus constitu-
„tam, prolatum a Sanctitate Vestra po-
„stulantibus compluribus galliarum Epi-
„scopis Decretum. Quo in negotio il-
„lud observatione dignum accidit, ut
„quemadmodum ad Episcoporum Afri-
„cæ relationem, Innocentius I. Pela-
„gianam hæresim damnavit olim, sic
„ad Gallicanorum Episcoporum con-
„sultationem hæresim ex adverso Pela-
„gianæ oppositam Innocentius X. aucto-
„ritate sua proscripserit. Enim vero
„vetustæ illius ætatis Ecclesia Catho-
„lica, sola Cathedræ Petri communio-
„ne & auctoritate fulta, quæ in De-
„cretali Epistola Innocentii ad Africa-
„nos data elucebat, quamque dein
„Zosimi altera ad universos orbis Epi-
„scopos epistola subsecuta est, Pelagia-
„na Hæresis damnationi absque cuncta-
„tione subscripsit. Perspectum enim
„habebat non solum ex Christi Domini
„nostri pollicitatione Petro facta, sed
„etiam

Sæc. XVII. A. C. 1653.

„etiam ex actis priorum Pontificum, & „ex anathematismis adversus Apollinarium & Macedonium nondum ab ulla „Synodo œcumenica damnatos, a Damaso paulo antea jactis judicia pro „sancienda Regula fidei a summis Pontificibus lata super Episcoporum consultatione (sive suam in actis relationem ponant, sive omittant, prout illis collibuerit) Divina æque ac summa per universam Ecclesiam auctoritate niti: cui Christiani omnes ex officio, ipsius quoque mentis obsequium „præstare teneantur. Ea nos quoque „Sententia ac fide imbuti, Romanæ „Ecclesiæ præsentem, quæ in summo „Pontifice Innocentio X. viget, authoritatem debita observantia colentes, „Constitutionem Divini Numinis instinctu a Beatitudine vestra conditam, „nobisque traditam ab Illustrissimo Atherarum Episcopo, Nuncio Apostolico „& promulgandam curabimus in Ecclesiis ac Diœcesibus nostris, atque illius executionem apud fideles populos „urgebimus. Neque vero pœnæ deerunt adversus temerarios illius violatores, quæ a jure hæreticis infliguntur, quibus juxta Constitutionis tenorem, & Breve Sanctitatis Vestræ nobis directum, contumaces omnes nullo conditionum, vel statuum discrimine

„mine facto perſtringemus: præſertim „cum in Galliis ad Epiſcopos in ſoli- „dum iſthæc cura pertineat, ubi nul- „los hæreticæ pravitatis inquiſitores „conſtitui patitur mos antiquus ex jure „communi profectus. Sane ſpondere „poſſumus Beatitudini Veſtræ, nihil „fore, quod Decreto Apoſtolico, no- „ſtræque in exequendo Sollicitudini „moram afferre poſſit, præcipue cum „piiſſimus ac Chriſtianiſſimus Rex no- „ſter, cui Breve Apoſtolicum, una cum „exemplo Conſtitutionis Illuſtriſſimus „Nuncius tradidit, interpellato quoque „Regiæ Majeſtatis præſidio nos ad il- „lius Decreti executionem, Edicto ſuo „ad nos dato pro ea quam debet Ec- „cleſiæ Conſtitutis tuitione, conſtanter „hortetur, & Magiſtratibus univerſis; „atque cæteris ſibi ſubditis, tum ad „vim arcendam, tum ad amputandas, „quæ forte poſſent ab hæreſeos reis „excitari de foro competenti Cavilla- „tiones præcipiat, quatenus executio- „nem illam omni ſtudio & opera ju- „vent, atque tueantur. Quare cum „Rex cæleſtis hac in cauſſa fœderatum „habeat Regem terrarum (ſi fas ita „loqui cum Sixto III.) Sanctitas Veſtra „per Petræ ſoliditatem jam concluſis „veritatis hoſtium animis ſecuros ab „omni externa perturbatione de nova „hæ-

Sæc. XVII. A. C. 1653.

Sæc. XVII. A. C. 1653. „hæresi triumphos aget. Porro nos „Innocentio X. cujus ore Petrus locu„tus est, ut Leoni! acclamat quarta „Synodus, hanc Divinam Lauream gra„tulari, sacros inter Ecclesiæ fastos, „quod olim de Synodis æcumenicis „fieri solitum, Constitutionem istam ab „eo editam lubentes ex animo repo„nemus, cui optatissimam in longæva „vita felicitatem adprecantur, qui sunt „cum ea, qua par est, Veneratione.

„*Sanctitatis Vestræ* *Beatissime Pater!*

Devotissimi & addictissimi Filii Cardinales, Archiepiscopi & Episcopi Galliæ in Parisiensi urbe congregati.

Hæc ipsamet epistola ac Pontificis Constitutio ad omnes Franciæ Præsules cum literis ab Antonio Godeau Vinciensi Episcopo confectis, sicut & unacum Regis mandato, quo præfata Bulla promulgari præceptum, fuit transmissa, proin hæc Constitutio, nemine obsistente, in universo Franciæ Regno acceptabatur, ab omnibus Episcopis promulgata.

§. XXV.

Sæc. XVII.
A. C 1653.

§. XXV.

Franciæ Regis edictum pro recipienda Innocentii X. Bulla.

Ut vero præfata Pontificis Constitutio ab omnibus in universo Galliarum Regno executioni daretur, ipsemet Ludovicus XIV. Galliarum Rex die quarta Julii pro suo in tuenda Religione studio ac indefessa vigilantia sequens hanc in rem Parisiis edictum promulgavit, cujus summa hæc est: *Argentre l. c. p. 271.*

„Ludovicus &c. Omnibus Archi„episcopis, Regnique nostri Episcopis „fidelibus ac dilectis Salutem: Post„quam summus Pontifex per suam Con„stitutionem hic annexam quinque pro„positiones varie intellectas decidit, ac „invocato S. Spiritus auxilio, & audita „plurium Cardinalium, Præsulum, a„liorumque gravium ac doctissimorum „Virorum judicio desuper credenda, „eo promptius decrevit, quo impen„sius, diversa mala, quæ remedio diu„tius dilato succrescere potuissent, præ„vertere, a nobis rogatus fuisset, & „insuper Bagnius Sedis Apostolicæ „Nuntius, dum summi Pontificis Con„stitutionem die trigesima prima Maij „datam exhibuerat, ejusdem Pontifi„cis nomine sollicitasset, ut præfatam

Sæc. XVII. A. C. 1653.

„Bullam in omnibus nostris Provinciis
„promulgari, & in usum deduci, au-
„ctoritate nostra curaremus, hinc ad
„Regum Prædecessorum nostrorum
„imitationem magis de Regis Christia-
„nissimi, ac primogeniti Ecclesiæ Ma-
„tris nostræ Filii prærogativa, quam
„de aliis, qui ceteris Principibus et
„Monarchis communes sunt, titulis
„gloriantes, ut certum specimen nostræ
„submissionis erga Deum, nostræ gra-
„titudinis pro tot gratiis ab eo receptis
„necnon nostræ observantiæ erga sum-
„mum Pontificem daremus, hinc
„volumus, & jubemus, ut præfata
„Bulla in universo nostro Regno recipia-
„tur; vidimus enim, quod in ea
„nihil Ecclesiæ Gallicanæ libertatibus
„nec nostræ quicquam dignitatis juribus
„adversum contineatur. Eapropter
„vos hortamur & monemus, ut illam
„juxta suam formam & tenorem in om-
„nibus Archiepiscopatibus, Regnique
„nostri Episcopatibus promulgari exe-
„cutionique dari curetis: Mandamus
„insuper, præcipimus, & districte, om-
„nibus nostris Ministris & subditis, quo-
„rum interest, injungimus, ut a vobis
„vel vestris Promotoribus requisiti ad
„præsentium executionem auxiliares
„præbeant manus, opemque præstent
„quin aliud, quam per præsentes, ex-

„pre-

„pressum mandatum a nobis præsto- Sæc. XVII.
„lentur &c. A. C. 1653.

Insuper Rex præfatam Pontificis Constitutionem ad Facultatem Theologicam Parisiensem per Henricum de la Mothe Hodencurtium Rhedonensem Episcopum die prima Augusti deferri jussit, hæc vero illam, unanimi consensu, eoque quo par erat, reverentiæ & obsequii studio recepit, atque ad acta retulit, inque omnes, qui Pontificiæ huic decisioni rebelles aut contumaces forent, expulsionis a suo ordine pœnam die prima Septembris habito conventu decrevit: ipsi etiam, qui Jansenii partes tuebantur, verbotenus profitebantur, quod sincerissimo animo sese Innocentii X. Constitutioni subjicerent, & quinque istas propositiones unacum Pontifice pro hæreticis haberent, easque in omni sensu, quo illas Papa damnatas voluit, damnarent, nec illas ultra sub obtentu, quod sensum Catholicum de gratia ex se efficaci continerent, defendere vellent, eoquod ipsis Papa declarasset, quod per harum propositionum censuras nequaquam gratiæ efficaciam perstringere intendisset. Hæc illi passim in suis scriptis jactitabant, progressu tamen temporis linguam & mentem mutarunt, & qui antea hæc

Sæc. XVII. A. C. 1653.

Jansenii dogmata ejus nomine tanquam Catholica Romæ coram Papa pro aris & focis propugnarunt, statim ac damnata fuere, ea in Jansenii libris minime reperiri spargebant, simulque querebantur, quod Papa harum quinque propositionum sensus non distinxerit, nec indicarit, in quo sensu illas damnarit, ac insuper Papa has propositiones ex Jansenii libro depromptas esse asseruerit, cum tamen in illo nec quantum ad verba nec quoad sensum hæreticum, in quo eas damnavit, reperiantur.

§. XXVI.

Binæ propositiones a Facultate Parisiensi proscriptæ.

Argentre l. c. p. 272.

Præterquam quod Facultas Theologica Parisiensis die prima Februarii necnon etiam Parisiensis Archiepiscopus, æque ac Parlamentum quemdam librum, cui titulus: *Chronicon, seu continuatio chronici Ademari Engolismensis cum additionibus Fratris Petri a S. Romualdo Fuliensis* proscripsisset, eoque in hoc libro, quod Papa Reges exautorare posset, a Gregorio VII. & Pio V. PP. definitum diceretur: insuper eadem Facultas die decima septima Decembris a Facultate Theologica Remensi rogata binas propositiones damnavit, cum

cum enim Franciſcus Fouet, Canonicus Regularis S. Auguſtini in Abbatia S. Dionyſii Remenſis Philoſophiæ Profeſſor per Thomam Bergerum pariter Canonicum ac Diſcipulum ſuum inter alias propoſitiones in publico literario certamine binas has Theſes die decima tertia Auguſti propugnaſſet, & quidem

Sæc. XVII. A. C. 1653.

I. *Quamvis ſateamur, ad libere operandum non ſufficere libertatem a coactione, ſed præterea requiri libertatem a neceſſitate pure naturali & cæca.*

II. *Nihilominus tamen fidenter aſſerimus cum Divis Auguſtino & Thoma, & omnibus Catholice ſentientibus, neceſſitatem voluntariam non officere libertati.*

Non pauci pietate ac doctrina celebres Viri has propoſitiones in fide ſuſpectas ac cenſuræ obnoxias eſſe cenſuerunt, remque ad Metropolitanæ Eccleſiæ Præpoſitos detulerunt. Hi ergo die decima ſexta ejusdem Menſis Facultatis Theologicæ Remenſis Doctores interpellabant, ut in comitiis ſuis mature has theſes diſcuterent, & deſuper ſuum ferrent judicium: Die igitur vigeſima octava præfati Menſis convenerant ex his Doctoribus omnino viginti quinque, ex quibus decem cenſuerunt, has propoſitiones nullatenus eſſe erroneas, ſcandaloſos, vel in fide ſuſpectas, minus vero ſummorum Pon-

Sæc. XVII. A. C. 1653.

tificum Bullis, & nequidem Innocentii X. Constitutioni adversas, sed potius veterum Patrum & Theologorum doctrinis SS. Augustino, Bernardo, Thomæ & aliis consonas: cum autem hoc judicium nonnisi a minori Doctorum numero fuisset pronuntiatum, ceteri ex comitiorum loco discesserunt, quin suam desuper proferrent sententiam, rati, absdubio alium conventum, in quo tanti momenti negotium longe maturius discuteretur, esse celebrandum; interea tamen inter Doctores plura privata oriebantur diffidia; præprimis enim Franciscus Faber ejusdem Facultatis Doctor & præfatæ Abbatiæ Prior Syndicum, aliosque nonnullos Doctores, ne sua ferrent suffragia, præpedivit, obtendens, eorum integritatem sibi esse suspectam: ceteri autem Doctores postulabant, ut hic idem Prior, eo quod ipsus in suo Monasterio has theses propugnari jussisset, ab hoc Facultatis conventu abesset, ceterisque Doctoribus suas sententias circa has theses proferendi libertatem relinqueret, potiusque consentiret, ut antiquiores, magisque versati Facultatis Theologi nominarentur, qui pro temporis opportunitate has propositiones examinarent & in proximo Conventu desuper referrent: Verum hic Prior a decem

Docto-

Doctoribus, quos sibi conciliaverat, mox has theses confirmari petiit, obtinuitque: Nihilominus Metropolitanæ Ecclesiæ Præpositus aliique rursus Facultatis Theologicæ Doctores Decanum rogarunt, ut die decima tertia Septembris illas exacte, lente, ac mature per quosdam Deputatos Doctores examinari curaret, horumque judicium postea denuntiaret, quin tamen ullus ex Facultatis Doctoribus a jure suffragii excluderetur. Sæc. XVII. A. C. 1653.

Ad horum igitur preces Facultas Theologica Remensis die decima quinta Septembris sex Doctores nominabat, qui præfatas theses sedulo examinarent, & si quid in illis censura dignum reperirent, in proximis comitiis Facultati referrent. Hi ergo post maturum examen unanimi suffragio censuerunt, quod „prima propositio, quatenus ad libere „operandum, præter libertatem a co„actione, non aliam requirit liberta„tem, quam libertatem a necessi„tate pure naturali & cæca, sit „temeraria, scandalosa, & in fide su„specta; utpote restringens Decreta „summorum Pontificum Pii Quinti, & „Gregorii decimi-tertii, hanc trigesi„mam nonam propositionem, in eo„rumdem Bullis relatam, condemnan„tium. *Quod voluntarie fit, & si in ne-*

Sæc. XVII. A C. 1653.

„*cessitate fiat, libere tamen fit*, & Inno-
„centii decimi, in Bulla nupera, super
„quinque propositionibus condemnatis
„Anathemate percutientis tertiam hanc
„propositionem. *Ad merendum & deme-*
„*rendum in statu naturæ lapsæ non requi-*
„*tur libertas a necessitate, sed sufficit liber-*
„*tas a coactione.* His enim Decretis
„censebant hi Doctores, summi Pon-
„tifices, ad libere operandum, exclu-
„dunt a voluntate omnem necessitatem
„libertati contrariam; prædicta autem
„positio solam excludit necessitatem pu-
„re naturalem & cæcam: quod non
„sufficit.„

Secundæ autem propositionis cen-
sura erat sequens: „Hæc positio, prout
„jacet, captiosa est, & piarum aurium
„offensiva, propter duos eosque oppo-
„sitos sensus, quos admittere potest;
„quippe quæ uno modo sumpta, nem-
„pe de necessitate voluntatis consequen-
„te, Catholicum, altero modo accepta,
„scilicet de necessitate voluntatis ante-
„cedente, hæreticum sensum reddit:
„quæ æquivocatio in omni doctrina
„summopere fugienda est, maxime ve-
„ro, ubi agitur de libertate actionis hu-
„manæ, quam summi Pontifices, &
„novissime Innocentius Decimus ab om-
„ni necessitatis vinculo semper vindi-
„carunt.„

Die

Die ergo prima Octobris omnes Remensis Ecclesiæ Præpositi hanc suæ Universitatis censuram Parisios ad Facultatem Theologicam transmisere, ut ejusdem Doctores tam super præfatas propositiones, quam earum censuras suam pronuntiarent sententiam: quindecim igitur Sorbonici Doctores die decima septima Decembris apposito suo chirographo testati fuere, quod dictæ propositiones merito a Remensi Theologiæ Facultate fuerint damnatæ & convenientibus censuris affectæ: Hallierus vero S. Theologiæ Doctor & Professor regius insuper hæc addidit: „Ego „subsignatus sententiæ Doctorum Re„mensium subscribo, insuperque cum „summo Pontifice Innocentio decimo „prædictam Positionem intellectam de „libertate electiva, seu quæ ad meri„tum & demeritum requiritur (quæ „sola proprie dicta libertas censeri & „nominari solet) hæreticam expresse „declaro, & SS. Augustino, & Thomæ „injuriosam. Ita censeo.„

Sæc. XVII. A. C. 1653.

§. XXVII.

Senonensis Archiepiscopi epistola Pastoralis circa S. Augustini doctrinam.

Sæc. XVII. A. C. 1653.

Argentre l. c. p. 276.

Postquam Innocentii X. Bulla ad Senonenses fuerat perlata, Gondrinus illius Diœcesis Archiepiscopus quorumdam cavillis deceptus, Pontificio hoc decreto S. Augustini doctrinam fuisse perstrictam censebat, quocirca die vigesima tertia Septembris pastoralem edidit epistolam, in qua præfati S. Doctoris doctrinam plurimum commendabat, perinde acsi ea in maximo versaretur periculo: Vano ejusmodi timore perculsus Gilbertus Choiseulius Conseranensis Episcopus, die nona Octobris hoc anno pariter ejusmodi literas in sua Diœcesi evulgavit: postquam vero Senonensis Archiepiscopi epistola Pictavium fuerat delata, mox criminalium causarum Præfectus ex duorum Theologiæ Magistrorum consilio illam die secunda Decembris suppressit. Insuper Mazarinus Cardinalis duodecim Episcopis curam demandabat, ut inter se deliberarent, quid in hoc negotio agendum esset. Attamen Senonensis Archiepiscopus anno sequenti in Cleri Gallicani comitiis sententiam suam communis hujus cætus judicio submisit.

§. XXVIII.

Sæc. XVII.
A. C. 1653.

§. XXVIII.

Perversæ doctrinæ a Lovaniensi Facultate Theologica damnatæ.

Quamprimum Hispaniæ Rex & Leopoldus Belgii Gubernator Bullam Innocentii X. acceperant, mox illa in Belgio, æque ac in Hispaniis ab universo Clero, Brabantino Senatu, & Universitatibus fuit recepta, quamvis in illa celebres propositiones diserte Jansenio adscriptæ legerentur, quod eo majoris admirationis argumentum erat, eoquod ibidem antea per plures annos vehemens efferbuisset oppositio adversus Urbani VIII. Constitutionem, in qua tamen Jansenii liber nonnisi *in genere* fuerat proscriptus: Enimvero Mechliniensis Archiepiscopus, & Gandavensis Præsul Innocentii Constitutionem promulgare tergiversabantur, paulo post tamen & ipsi aquiescebant: cum autem Lovaniensis Facultas Theologica compertum haberet, quod quædam opiniones sanæ doctrinæ adversantes irreperent, hinc die trigesima Martii & vigesima sexta Aprilis habito conventu illas merito Superiorum auctoritate prohibendas, & nullatenus in usum deducendas censuit: Erant autem sequentes.

I. Pœ-

Sæc. XVII. A.C. 1653

I. „Pœnitenti habenti consuetudi-
„nem peccandi contra legem Dei, na-
„turæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis
„futuræ spes nulla appareat, nec est
„neganda, nec differenda absolutio,
„dummodo ore proferat se dolere, &
„proponere emendationem.„

II. „Potest aliquando absolvi, qui
„in proxima occasione peccandi versa-
„tur, quam potest, & non vult omit-
„tere; quinimo directe, & ex proposito
„quærit, aut ei se ingerit.„

III. „Copula cum conjugata con-
„sentiente marito, non est adulterium.
„Et mollities, Sodomia, bestialitas
„sunt peccata ejusdem speciei infimæ
„adeoque sufficit in primo casu dicere
„in confessione, se esse fornicatum, &
„in secundo se procurasse pollutionem.„

IV. „Licet Sacramentaliter absol-
„vere dimidiate tantum confessos ratio-
„ne magni concursus pœnitentium, qua-
„lis verbi gratia potest contingere in
„die magnæ alicujus festivitatis, aut
„Indulgentiæ.„

V. „Licitum est tam in judicio,
„quam extra judicium jurare cum re-
„strictione mentali, non habito respectu
„ad intentionem ejus, qui petit jura-
„mentum.„

VI. „Licet aliquando interficere ad-
„versarium, aut illum infamare (etiam
„in-

„imponendo illi falſa crimina) ſine pec- Sæc. XVII.
„cato mortali.„ A. C. 1653.

VII. „Licet Clerico vel Religioſo „calumniatorem, gravia crimina de ſe „vel de ſua Religione ſpargere minan- „tem occidere, quando alius defen- „dendi modus non ſuppetit, uti ſuppe- „tere non videtur, ſi Calumniator ſit „paratus ea vel ipſi Religioſo, vel ejus „Religioni publice ac coram graviſſimis „viris impingere, niſi occidatur.„

VIII. „Præceptum ſervandi feſta „non obligat ſub mortali, ſepoſito ſcan- „dalo, ſi abſit contemptus.„

IX. „Quidam putant probabiliter „nondum animato fœtu licere abortum, „ad vitandum Scandalum aut mortem, „procurare. Ex quo apparet, non con- „demnandam facile puellam abortum „facientem, cum nondum eſt animatus „fœtus, ne deprehenſa gravida occi- „datur, aut infametur.„

X. „A parato maleficium malefi- „cio ſolvere, licet idipſum petere.„

XI. „Qui apud Mendicantes com- „municant intra dies Paſchales, ſatisfa- „ciunt præcepto Eccleſiæ de Commu- „nione annua, nec tenentur illi in ſua „Parochia communicare.„

XII. „Peccata in Confeſſione omiſ- „ſa ob inſtans periculum vitæ, aut a- „liam cauſſam, non tenemur poſtea in „Confeſſione exprimere.„

XIII.

Sæc. XVII. A. C. 1653.

XIII. „Non ſolum licitum eſt de„fendere (defenſione occiſiva) quæ actu „poſſidemus, ſed etiam, ad quæ jus in„choatum habemus, & quæ nos poſ„ſeſſuros ſperamus. Quare licitum eſt „tam hæredi, quam legatario contra „injuſte impedientem, ne vel hæredi„tas adeatur, vel Legata ſolvantur, ſe „taliter defendere; ſicut & jus habenti „in Cathedram, vel Præbendam, con„tra eorum poſſeſſionem injuſte impe„dientem.„

XIV. „Vocare Deum in teſtem men„dacii levis, non eſt tanta irreveren„tia, propter quam velit, aut poſſit „damnare hominem.„

XV. „Ad defendendum honorem „ſuum, acceptare duellum, & occidere „provocantem, non eſt mortale pec„catum.„

XVI. „Non tenetur quis ſub pœna „mortalis peccati reſtituere, quod ab„latum eſt per parva furta, quanta„cumque ſit ſumma talis.„

XVII. „Abſolutionis capax eſt ho„mo, quantumvis laboret ignorantia „Myſteriorum fidei, & etiamſi per ne„gligentiam quoque culpabilem neſciat „Myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, & „Incarnationis D. N. Jeſu Chriſti.„

Inſuper cenſuit Facultas, monendos eſſe Confeſſarios, I. „quod non ha„beant

„beant poteſtatem remittendi obligatio- Sæc. XVII.
„nem ſolvendi, aut differendi ſolutio- A. C. 1653.
„nem debitorum; dandi veniam, vel
„reſtituendi famam, vel ſatisfaciendi
„pro injuriis illatis: ac proinde non im-
„pendant abſolutionem, niſi pœniten-
„tes parati ſint ſatisfacere, ſive pro de-
„bitis, ſive pro injuriis illatis, extra
„caſus, in quibus leges permittunt illud;
„quarum Confeſſarii tantum ſint in-
„terpretes. II. Quod juxta Concilium
„Tridentinum nihil poſſint circa caſus
„reſervatos, ac proinde ne ſe immi-
„ſceant, ab iis abſolvendo, niſi in ſum-
„ma neceſſitate.„

Hanc cenſuram non modo Theodorus Lylvoltius Facultatis Decanus, ſed etiam Mechlinienſis Archipræſul & Gandavenſis Epiſcopus confirmarunt, uti videbimus.

§. XXIX.

Cleri Gallicani decretum contra Fratres Minimos.

Præter alia negotia, quæ Franciæ Præſules Pariſiis in ſuis comitiis generalibus congregati deciderant, decretum quoque ediderunt adverſus Fratres Minimos Valentinæ Urbis in Delphinatu ſitæ. Hi enim neglecta Valentinenſis Epiſcopi auctoritate ac licentia Corpus Venerabilis Mariæ Teſſoniere

Comment. Cler. Gall. t. 1. p. 653.

Sæc. XVII. A. C. 1653.

ſoniere publicæ fidelium veneration expoſuerant, cum ergo id aliunde Sede Apoſtolica prohibitum eſſet, pariter Præſules hanc agendi rationem improbarunt, publicumque ejusmodi cultum huic Venerabili Virgini exhiberi vetarunt, donec Epiſcopi examen, judicium & approbatio accederet.

§. XXX.

Religionis diſſidium inter Helvetios Calviniſtas & Catholicos.

Hotting. Helv. Eccl. Hiſt. p. 3. lib. 7. Hafner. Theatr. II. p. 3000. & ſeqq.

Hoc item anno motus in Helvetiis ex levibus initiis Catholicos inter & hæreticos tandem in grave bellum erupit; cum enim Calviniſtæ Templum Frauenfeldæ contra pacta erigerent, & Glaronenſes Acatholici jam a pluribus annis circa ſcholas, cauſſas matrimoniales, ſupplicationes ſacras &c. varia in præjudicium Catholicorum innovare præſumerent, & Religioſos ex Catholicis Griſoniæ locis expellere & Catholicæ Religionis exercitium turbare non ceſſarent, Catholici iterato opponebant Badenſis transactionis leges, vi quarum die duodecima Decembris Anno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo primo ſancitum, ut neutra pars in libero fidei ſuæ exercitio præpediretur, nec ad Religionis, rituumque mutationem

tationem quovis pacto induceretur: Verum ſpreta mutui pacti religione Acatholici & præcipue Tigurini Prædicantes ſæpius in Catholicorum ac potiſſimum Suicenſium pagos perſonati irrepſere, variisque fraudibus, promiſſis, & mille commentis quosdam incautos rudesque numero circiter quadraginta ex Arthi oppido ad lacum Tugienſem ſito a fide Catholica ad ſuam ſectam pertraxere. Cum autem hi miſere decepti Tigurum profugere pararent, detecto eorum conſilio Suicenſis Magiſtratus, ad cujus, ut vocant, Cantonem Arthum ſpectat, hos, reliquosque de apoſtaſia ſuſpectos Suicium reduci, & contumaces quosdam, pro ſuprema ſua & independente poteſtate capite multari juſſit, illos vero ſubditos ſuos, qui Tigurum jamjam die vigeſima quarta Septembris pervenerant, ſibi reddi petiit, addita comminatione, ni venirent, eorum bona fiſco addictum iri: Tigurini autem Calviniſtæ, quibus ſeſe Bernates ob ſectæ affinitatem ad mutuum fœdus adjunxerant, hæc Suicenſium geſta injuriam ſuam interpretabantur, ſibique emigrandi jus, quod tamen nunquam probare poterant, competere obtendentes, profugorum bona repoſcebant, vim & arma minitantes: quoniam vero quinque Pagi Catholici

Sæc. XVII. A. C. 1653.

Sæc. XVII. A. C. 1653.

jam anno Domini milleſimo quingen-teſimo trigeſimo primo in ſuis Conventibus jurato pacto ſeſe obſtrinxiſſent, quod omni tempore in Catholicæ Religionis profeſſione perſiſtere, ab ea autem deficientes pro hæreticis habere, & juxta priſcas Cæſarum leges capitali pœna plectere velint, aliunde vero Tigurinis nihil omnino in Suicenſium ditiones juris eſſet, hinc Catholici novas ab eis leges accipere renuerunt, atque hoſce veræ fidei deſertores revocarunt, eorumque bona ærario addixere. Ad hæc Tigurini non aliud dabant reſponſum, niſi quale ira & ſectæ fanatiſmus inſpiraverat; mox enim ad arma verſi Rappersvilam rupta pace occuparunt, collectisque undique viribus Catholicos hoſtilem in modum invadere, ſacras imagines, ædesque demoliri, omnique crudelitatis genere debacchari cæperunt, ipſo etiam Cromwello Anglorum Protectore pecuniarum ſubſidia ſuppeditante. Dura igitur ſe ſuaque tuendi neceſſitas Catholicos Suicenſes compulit, ut ſuas quoque vires Lucernatibus, Uranienſibus, Subſylvanis, & Tugienſibus jungerent, illatamque vim vi retundere ſatagerent. Igitur opportunam explicandis copiis aciem ad Vilmergam oppidum nacti die vigeſima quarta Januarii cum Calvini-

ſtis

ſtis congrediuntur, atque ex belli tormentis eminus hoſtem ſtrenue petunt, ferreis tamen globis plerumque innoxie cadentibus, eoquod Calviniſtarum non pauci diabolicis incantationibus ac præſtigiis ſua corpora a vulneribus illæſa haberent: paulopoſt tamen neſandis hiſce artibus per Divinam opem eluſis, Catholici exercitus Ductor dato ſigno univerſas vires in hoſtem effudit: ruunt laxatis habenis equites in dextrum Calviniſtarum cornu, plurimosque nondum ſatis proviſo impetu obterunt: unde haud ſenſim Calviniſtæ cadunt, ſed effuſa equitum fuga peditum quoque turbant ordines: demum tentata irruptione poſtrema Cælum pro Catholicis pugnare videbatur; repente enim eminus fulgur tam inſolito ſplendore Calviniani Ducis, militumque oculos perſtrinxerat, ut cæſis Bernatum bis mille, captisque quingentis ceteri omnes in propudioſam fugam effunderentur. Reportata hac victoria integer hoſtium exercitus deleri, uberioresque fructus legi potuiſſent, niſi apud Catholicos prævalens pacis ac Reipublicæ amor victricem manum cohibuiſſet: Poſtquam enim integro biennio mutua hæc Religionis diſſidia exarſerant, tandem anno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo ſexto die vigeſima ſexta

Sæc. XVII. A. C. 1653.

Sæc. XVII. A. C. 1653

Februarii Cantones quinque, Friburbum, Solodurnum, Basilea, Scaphusia, Glerona, Abbatis cella, quæ neutras partes secutæ fuerant, belli induciias paciscebantur, demum vero adventente Regis Francici Legato pacem conficiebant, qua sancitum, ut quilibet Pagus in sua Provincia, & ditione in religione sua, dominio & jurisdictione quietus & sine molestia relinqueretur, in communibus vero Provinciis, ut est Turgoia, Vallis Rhenana, Comitatus Badensis, & Sargantinum, Religio Catholica semper integra & illæsa conservaretur; cunctaque Religionis dissidia per arbitros utrinque selectos deciderentur, si qui autem vellent in alium Cantonem, præsertim si ibi diversa viget religio, emigrare, integrum sit loci Dominis, contra tales subditos discessuros pro arbitrio & antiquo more procedere. Insuperhabita tamen hac pace Badenæ inita Tigurini novos motus contra Catholicos Ramsenses concitarunt, præfato tamen anno Catholici, urgente Ferdinando Carolo Archiduce, liberum Religionis exercitium, integrumque jus ad publica officia obtinuerunt, cunctis, qui dicto anno a vera fide defecerant, emigrare jussis: composito hoc diffidio Tigurini itidem in Turgovia Catholicis, & præcipue

cipue Abbati sancti Galli molestias facessere, ejusque jura labefactare moliebantur, & cuidam civi Frauenfeldensi, eoquod ad fidem Catholicam reversus esset, suos filios & filias ad Tigurinas ditiones abstraxerunt, eosque nonnisi intervenientibus Catholicis Cantonibus restituerunt. Sæc. XVII. A. C. 1653.

§. XXXI.

Oliverius Cromwellus in Angliæ, Scotiæ & Hiberniæ Protectorem proclamatus.

Postquam Oliverius Cromwellus, abolita dignitate Regia, Scotos & Hibernos iterato prælio devictos dissipaverat, Batavos quoque, qui Pelamidum piscationem sibi solis vindicare parabant, quæsito jure suo armis spoliare nitebatur: nec magnis hisce ausibus deerat secundi successus prosperitas; quamvis enim anno priori Batavi, Architalasso Herberto Trompio, cum ingenti sexcentarum navium classe Dracum Anglum Ductorem aggressi, primo certamine victores evasissent, nihilominus vertente belli fortuna hoc anno naves suas ferme omnes, & militem, ac demum etiam postremo prælio ipsum Trompium globo plumbeo discerptum amisere, eoque sublato, quam- *Salmon hist. d'Angl. t. 1. p. 279.*

Sæc. XVII. A. C. 1653.

vis magnam classem, bellumque restaurare simulassent, pacem tamen turpiter postularunt, turpiusque impetrarunt: Pacato mari, & Anglia ab extero hoste libera, Cronwellus novam Reipublicæ normam seu potius Anarchiam aut tyrannidem stabilire intentus erat: cum autem absque exercitus imperio suam auctoritatem firmo pede subsistere haud posse, probe prospiceret, aliunde vero non ignoraret, quod ex Parlamento non pauci partim Presbyteriani, partim Regii, imo etiam Independentes adversus novum hunc Regni usurpatorem conspirarint, hinc præprimis exercitus Belliduces stimulabat, ut porrecto libello supplici militibus nulla mora æs militare integrum numerari, a Parlamento peterent: hi ergo accepta repulsa denuo Parlamentum dissolvi postularunt: cum autem Parlamentarii non modo indicta perduellionis pœna deinceps a quovis ejusmodi libellos porrigi inhiberent, sed insuper Parlamentum adhuc per aliquot Menses continuandum decernerent, Cronwellus, quod per dolosam sagacitatem obtinere non poterat, id per obfirmatam violentiam perfringere statuit: ipsus igitur armato milite stipatus, Westmonasterii Curiam ingreditur, Parlamentique Oratorem suo loco excedere jubens, Senatores

tores innumeris convitiis exagitatos his verbis alloquitur: *Estis ebrii, adulteri, auro corrupti & depravatæ mentis homines, vitam ducitis scandalosam, recto Evangelio contrariam, proin indigni, ut ulterius Sessiones habeatis: dico vobis & iterum dico, non estis amplius Parlamentarii.* His dictis Harrisonus, ejusque milites in Oratorem irruunt, eumque unacum omnibus Senatoribus e Curia ablatis clavibus inter mille convitia & contumelias ejiciunt: Cronwellus vero paulopost ad Regii Senatus aulam contendens, pariter hosce Senatores a suis Sessionibus abstinere jussit, ac publico edicto caussas, ob quas jure Parlamentum abolevisset, exposuit, moxque centum quadraginta, potissimum militiæ Tribunos selegit, in quibus deinceps supremam auctoritatem residere, eosque Rempublicam præseferre declaravit, simulque cavit, ne eorum auctoritas amplius, quam ad unius anni spatium extenderetur, eoque evoluto alii seligerentur: ipsus enim Cronwellus ad supremam Regni potestatem adspirabat, quamvis se ipsam quoque armorum præfecturam abdicaturum simulasset: Igitur novi hi Senatores die decima quarta Julii Whitehallam convocati, atque a Cronwello admoniti, ne aliis, quam quos de pura fide in Christum

Sæc. XVII. A. C. 1653.

Whith. pag. 529.

Sæc. XVII. A.C. 1653.

ſtum & perfectiſſima veneratione Sanctorum celebres noſſent, ſua unquam darent ſuffragia, qui tandem ſequenti die promiſerunt, quod ad Miniſterium nullos admittere velint, niſi probatæ devotionis Viros, eapropter hoc Parlamentum nonniſi *devotum*, ab aliis autem Anglico idiomate *Parlamentum Barebonum* ſeu os nudum, aut carne exutum per ludibrium vocabatur: poſtea in prima Seſſione declararunt, quod Chriſtus Dominus proxime in terras deſcenſurus, & cum eis Regimen partiturus eſſet, via igitur prævie præparanda foret, quod haud aptius fieret, quam ſi omnes Curiæ, cunctæque leges utpote totidem abjectæ Servitutis ſpecimina abolerentur, & Univerſitatibus omnibusque ſcholis utpote Paganorum inventis omnino ſuppreſſis, omnes honorum tituli cunctis hominibus communes revocarentur; cum antea Regiæ dignitates nil aliud fuiſſent, quam perpetua teſtimonia feralium injuriarum humanitati illatarum: Profecto effatu præclaro hoc Conſilio digna! Inſuper ridiculi hi Senatores promulgato edicto declararunt, quod deinceps eorum decreta omnem vim, ac legitimi Parlamenti auctoritatem haberent, cunctique illis obtemperare tenerentur: Aſt Cronwellus diutius populare hoc Regimen

gimen ſuſtinendo impar, ut ſibimetipſi proximius aditum ad ſupremum Regni imperium panderet, quosdam intime ſibi conjunctos ſollicitabat, ut hi novis Senatoribus proponerent, quatenus bello jam confecto ſuis Seſſionibus finem imponerent, atque ad tuendam publicam ſecuritatem, novæque Reipublicæ firmitatem ex præcipuis Belliducibus aliquem in regnorum Protectorem nominarent: Hi ergo aut beneficiis delibuti, aut pretio vel promiſſis empti, aut officia ſua amittendi periculo territi declararunt, quod Cronwellus deinceps ſupremum Reipublicæ Caput eſſet, & magnifico titulo *Protectoris Angliæ*, *Scotiæ*, *Hiberniæ*, *omniumque ditionum* honoraretur: poſtea Londinenſis Urbis Magiſtratus novum hunc Protectorem, ſub quo nomine omnis Regia poteſtas callide occultabatur, ad regium Weſtmonaſterienſe Palatium conduxere, eidemque porrectis Regni ſigillis & enſe, *Altitudinis* titulum attribuerunt, jurato polliciti, quod ejusdem jura proprio etiam ſanguine tueri vellent: Ipſe vero Cronwellus Regis inſtar mox legem tulit, qua perduellionis reus denuntiabatur, qui ſupremam poteſtatem penes Protectorem, ejusque Parlamentum eſſe negaret, aut ullum cum familia Stuarta commercium

Sæc. XVII. A. C. 1653.

Sæc. XVII. A.C. 1653.

cium haberet, ſimulque acerbiſſima in Catholicos edicta vinoavit, tantamque poteſtatem impune exercuit, quantam Angliæ Reges etiamnum ſibi polliceri minime audent.

§. XXXII.

Tiberii Cincii Cardinalis obitus.

Ciacon. in vita Innocentii X.

Sex omnino ex Cardinalium Collegio hoc anno mortalitatem exuiſſe conſtat, quorum primus erat Tiberius Cincius patritius Romanus, qui poſt primarias in ditione Pontificia Præfecturas ſumma prudentiæ ac integritatis laude adminiſtratas, a Gregorio XV. Æſinam Eccleſiam ſuſcepit regendam, cui etiam per triginta duos annos præfuit, ob paſtoralem ſollicitudinem cunctis proficuus, ſuaque in rebus agendis dexteritate, morumque comitate percharus magnique habitus; pari quoque cum applauſu civitatem, Domumque Lauretanam annorum ſpatio quatuordecim adminiſtravit, palatioque ſuis ſumptibus ampliato fontem in foro publico præter alia ædificia reſtauravit: apud Æſinos vero Monaſterium Sanctiſſimæ Annuntiatæ, necnon Eccleſias S. Rochi & S. Mariæ de Ulmo ad Suburbium S. Floriani erexit, tandemque ab Innocentio X. cognitis ejus cele-

celebratisque meritis Romana Purpura decoratus, octavo post anno in Episcopali suo Palatio die vigesima sexta Februarii annos natus septuaginta tres animam Deo reddidit.

Sæc. XVII. A. C. 1653.

§. XXXIII.

Alphonsus Ludovicus du Plessis de Richelieu Cardinalis mortuus.

Iterata in progressu hujus Historiæ mentio occurrebat Alphonsi Ludovici du Plessis de Richelieu, qui celeberrimi Franciæ Ministri Armandi Richelii Frater natu major præter plurimas, easque sat pingues Præbendas ab Henrico IV. ad Lucionensem Ecclesiam nominatus, relictis omnibus mundi dignitatibus Carthusianorum institutum professus est, ex quo ad Archiepiscopatum Aquensem a Ludovico XIII. Galliarum Rege assumptus, ac postea ad Lugdunensem Ecclesiam evectus, tandem etiam Cardinalium collegio adscribebatur, quamvis Sixti V. decreto duos Germanos Fratres simul Purpura decorari prohibitum esset, id tamen Urbanus VIII. se fecisse testabatur, precibus ejusdem Regis, merito Armandi Cardinalis, & eximia Alphonsi pietate, fidei ac disciplinæ Zelo permotus. Postea pro gravissimis Regni negotiis Romam

Frizon. Gall. Purp. Victorell. in addit. ad Ciacon. Sammarth. Gall. Christ.

Sæc. XVII. A. C. 1653.

mam ad eundem Pontificem decretus, rubrum galerum, titulumque Ecclesiæ SS. Trinitatis in Monte Pincio obtinuit: inde in Gallias reversus, cum Lugdunensis Urbs gravi pestilentia conflictaretur, nullas boni Pastoris partes prætermisit, ipsusque ægros sæpissime visitans, moribundis Ecclesiæ Sacramenta Christiano proprii periculi contemptu administravit: tandem vero diuturna hydropisi confectus, bonis suis potissimam partem in egenos distributis, ac testamento relictis Lugduni die vigesima tertia Martii pie, ut vixit, in Domino obiit, sepultus in Hospitali pauperum Lugdunensium, cujus humili tumulo sequens propria sua manu scriptum epitaphium apponi jussit:

Pauper natus sum,
Paupertatem novi,
Pauper morior,
Inter pauperes sepeliri volo.

§. XXXIV.

Friderici Cornelii Cardinalis extrema.

Thomas. in Elog. Victorell. l. c.

Tertius ex Purpuratis hoc anno denatis erat Fridericus Cornelius patria Venetus, qui eximius Literatorum fautor adhuc juvenis Palatium suum in Acc-

Academiam convertiſſe videbatur, annosque nonniſi viginti tres natus jamjam Doctoratus lauream, Pontificii Clerici dignitatem, Bergomenſem Epiſcopatum ac denique Purpuram emeruit: Anno autem Chriſti milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo primo ad Vicentinam, & demum ad Patriarchalem Venetorum Eccleſiam translatus, tot ſubinde Epiſcopatibus eo duntaxat fine honorari credebatur, ut ubique Paſtoralis ſui Zeli, liberalitatis, charitatisque ſpecimina edere poſſet; quippe Vicentinam Eccleſiam Cathedralem ſacro Reliquiarum theſauro ditavit, Venetam vero auguſtiore Palatio Patriarchali, Oratorio, Clericorum Collegio, Nobilium Academia, aliisque ædificiis auxit: præcipue vero Cleri, populique ſui mores ad pietatis, & diſciplinæ Eccleſiaſticæ leges efformare intentus, cunctis exemplo præibat: unde ejus Aula in perpetuum virtutis gymnaſium, & eruditi juxta ac pii Cleri Seminarium transmigraſſe dicebatur: Ceterum optimus Princeps, clementiſſimus Parens, atque Antiſtes Vigilantiſſimus, ſenio ac meritis venerandus Romæ Albanenſis Epiſcopus ab Innocentio X. anno hujus ſæculi quinquageſimo ſecundo renuntiatus, altero poſt anno die quinta Junii deceſſit, ſepultus in Eccle-

Sæc. XVII. A. C. 1653.

Sæc. XVII. A. C. 1653.

Ecclesia S. Mariæ de Victoria Carmelitarum Discalceatorum, ubi aram, & ante aram tumulum mortalitatis suæ custodem vivus posuerat, atque in honorem Divæ Theresiæ elegantissimum Sacellum suo ære erexerat.

§. XXXV.

Fausti Poli Cosciæ Cardinalis decessus.

Ughel. Ital. Sacr. Ciacon. in vita Urb. VIII.

Hunc quarto post Mense sequebatur Faustus Polus Coscia patria Camers, qui post varios casus in patria sua exantlatos Romam profectus, ab Urbano VIII. Palatii Apostolici Præfectus, intimus Pontificis Cubicularius, & Amasiensis Archiepiscopus nominatus, ad comitandam Mariam Hungariæ Reginam Nuntius decernebatur: demum vero Cardinalium Collegio adscriptus, Urbevetanam Ecclesiam Episcopus per novem ferme annos summa vigilantia rexit, ubi etiam anno ætatis suæ septuagesimo septimo Purpuram cum vita exuit.

§. XXXVI.

Francisci Mariæ Machiavelli Cardinalis fata.

Sequen-

Sæc. XVII A. C. 1653.

Sequentis Menſis Novembris die vigeſima pariter æternitatis viam aggreſſus eſt Franciſcus Maria Machiavellus Patritius Florentinus. Hic humanioribus literis apprime imbutus, tam ſedulam Jurisprudentiæ operam navabat, ut adoleſcens ab Urbano VIII. Baſilicæ Vaticanæ Canonicus, & Rotæ Romanæ Auditor nominaretur: Seligebatur quoque, ut unacum Cardinale Ginetto Legato Apoſtolico Coloniam, pro univerſali pace ſtabilienda Nuntius mitteretur, Patriarchæ Conſtantinopolitani titulo honoratus. Poſtea ad Ferrarienſem Epiſcopatum, necnon ad Cardinalatum evectus Romam ad Innocentii X. comitia contendit, inde vero ad ſuam Eccleſiam reverſus, paulopoſt annos natus nonniſi quadraginta tres ibidem deceſſit, non ſine ingenti Cleri, gregisque ſui mœrore. *Ciacon. l. c.*

§. XXXVII.

Dominicus Pimentellus Cardinalis mortuus.

Poſtremus inter Cardinales, qui hunc annum vitæ ſuæ exitialem habuere, erat Dominicus Pimentellus natione Hiſpanus, qui ex Ord. S. Dominici ad Oxonenſem, tum Cordubenſem ac poſtea Hiſpalenſem Eccleſias aſſumptus, ſemper *Ciacon. in vita Innocent. X.*

Sæc. XVII. A. C. 1653.

per & ubique pauperum parentem & Patronum sese exhibuit, omnesque Ecclesias, quibus præfuit, sacra suppellectile largissime exornavit, postea Regius Orator unacum Joanne Chiumazero Romam ad Urbanum VIII. decretus, ibidem Ecclesiasticis omnibus fuit exemplo ad imitandum. Inde vero reversus in Hispaniam, dum in Cleri studio, populi cura, & disciplina Ecclesiastica promovendis totus erat, ad Philippi IV. Hispani Regis preces ab Innocentio X. sacram Purpuram obtinuit, qua tamen vix integro biennio decoratus, Romæ die secunda Octobris anno ætatis sexagesimo tertio naturæ debitum solvit, sepultus in Ecclesia S. Mariæ super Minervam.

§. XXXVIII.

Joannis Ludovici Nassovii Principis obitus.

Tuld. Hist. temp. cont. lib. 2.

Hoc item anno Joannes Ludovicus Nassovius Princeps die sexta Martii Hadameriæ suæ ditionis urbe post diuturnum morbum pientissime decessit. Hic ejurata Calvini secta anno Christi millesimo sexcentesimo vigesimo nono die octava Septembris publice fidem Catholicam professus est, atque ab Hispano Rege Philippo IV. aurei velleris Eques,

Eques, a Ferdinando II. Cæsare aureæ clavis Cubicularius, ac demum a Ferdinando III. in Westphaliam pro concilianda pace Legatus decernebatur, & confecto pacis negotio ex Comite Princeps creatus est, quo Principatus honore hodiedum ejus liberi, posterique perpetuo gaudent. Erat sane Princeps germanæ sinceritatis ac fidei, insignisque pietatis, qua Jesuitis Collegium in sua urbe, & Franciscanis in S. Ægidii monte Conventum suis expensis erexit: Demum vero Catholico ritu S. Ecclesiæ Sacramentis munitus, animam Deo in cælis, corpus Ecclesiæ apud Franciscanos, & denique Cor suum Jesuitis tradidit.

Sæc. XVII. A. C. 1653.

§. XXXIX.

Wolfgangi Guilielmi Neoburgi Ducis mors.

Jam supra meminimus, quod Wolfgangus Guilielmus Neoburgi Dux Philippi Ludovici Filius a Lutherana secta ad veræ Ecclesiæ gremium reversus sit: cum enim hic Princeps maximis naturæ dotibus inclytus, ingenio ad capiendas disciplinas avido præditus, pro dignoscendis exterarum nationum moribus Daniam, Angliam, Italiam & Hispaniam pervagatus esset,

Vid. supra l. 190. §. 51. tom. 55.

Sæc. XVII. A. C. 1653.

jam tum de sectæ suæ veritate dubi tare, & de Prædicantium suorum com mentis convinci cæperat: inde ver reversus, ac mortuo Avunculo suo d successionis jura gravi bello cum Bran deburgicis implicitus, & a Suecis dir vexatus, invicta tamen semper fortitu dine suos hostes repressit, ac Religi nem Catholicam adversus violenta Protestantium machinationes pro vi bus propugnavit, Eminuit præcipu excelsi ac liberalis animi prærogativ erga pauperes & peregrinos adeo comm & beneficus, imo ausim dicere, tan familiaris, ut si quando in immodic affluentium numero non posset omnibu satisfacere, hi vero adhuc contra im portunius instarent, illis omnibus ple nissimam facultatem daret, ut ejus ve stes, loculosque manibus scrutari vo lerent: Præterea inter tot, quibu premebatur, adversa, frequens illi e rat hæc vox: *In Deo consolatio mea* Plura insuper Templa excitavit, & pre ter Neoburgense Collegium largissim dotatum, plura aperuit Gymnasia, Mo nachisque & Sacerdotibus promove dæ fidei Catholicæ, & extirpandæ hæ resi intentis adeo familiaris & necessa rius exstitit, ut non semel dicere audi tus esset, se in Religionis studio nul primas, nisi Ferdinando II. Cæsari con cedere

cedere. Tandem cum, rheumatismo obrutus, nonnisi biduo decumberet, die vigesima Martii inter luculenta pietatis, Religionisque signa placidissime anno ætatis suæ septuagesimo quinto Düsseldorffii animam exhalavit, sepultus in Divi Andreæ Templo. Successorem habuit Filium suum unicum Philippum Guilielmum patriæ ditionis, virtutumque hæredem.

Sæc. XVII. A. C. 1653.

§. XL.

Salisburgensis & Sylvanectensis Archiepiscoporum fata.

Pariter hoc anno Sylvanectensis Archiepiscopus repentina oppressus apoplexia, cum super pontem incederet, in terram decidens, paulopost decessit. Eodem hoc anno Paris Comes Lodronius Salisburgensis Archiepiscopus, & Germaniæ Princeps, cum per plures Menses pedum tumore, & tandem hydropisi vehementer afflictaretur, sacris Ecclesiæ sacramentis summa cum pietate receptis inter Religiosorum adstantium preces in Palatio Mirabellæ integris sensibus die decima quinta Decembris anno ætatis suæ sexagesimo octavo pientissime exspiravit. Hic per integros triginta quatuor annos, quibus suæ Ecclesiæ Archiepiscopali præ-

Hist. Salisb. l. 5. c. 33.

Sæc. XVII. A. C. 1653.

fuit, omnem sollicitudinem, tempus, & vigilantiam in commissarum ovium salutem impenderat, prudentia sane incomparabili, animo in gravissimis negotiis & periculis semper imperterrito & maxima erga Deum, Sanctosque fiducia, quorum auxilio, assiduisque precibus tantum assecutus est, ut inter circumgrassantes triennalis belli procellas patriam, civesque suos ab hostili incursu & injuria intactos servasset. Erogaverat etiam quadraginta quatuor florenorum millia pro fundando civilis jurisprudentiæ Professorum salario, & quantumvis Metropolitano suo Capitulo alia quadraginta florenorum millia donasset dedisset, nihilominus ærarium præsenti pecunia abunde instructum reliquit. Successit eidem Guidobaldus Comes de Thun, anno sequenti die vigesima septima Februarii a Capitulo Cathedrali electus.

§. XLI.

Abrogatio Mediolanensis edicti circa festivitatem S. Dominici.

Bull. magn. Innoc. X. Constit. 53.

Sub idem ferme tempus Mediolanensis Senatus, inconsulta Sede Apostolica, & renitente Archiepiscopo die vigesima Junii per universam ditionem literas encyclicas emisit, vi quarum omni-

omnibus & ſingulis præceptum, ut quolibet anno Feſtum S. Dominici ea ſolemnitate celebraretur, ut etiam omnes populi & ſubditi præfati Ducatus a laboribus ſervilibus abſtineant, & artifices ſuas tabernas clauſas teneant, hancque feſtivitatem omnes ſingulari devotione ac pietate Chriſtiana celebrent. Idem quoque Mediolanenſis Gubernator die trigeſima Auguſti mandaverat, promulgato deſuper edicto: quamprimum vero Innocentius X. Pontifex hac de re certior factus erat, mox die ſexta Octobris edita Conſtitutione præfatas Senatus literas, & Gubernatoris edictum auctoritate laicali emanatum omnino nullum, nulliusque roboris & momenti eſſe declarabat, eoquod auctoritati Eccleſiæ perniciosum crederet, ſi Principes laici facultatem indicendi dies feſtos in honorem Sanctorum ſibi arrogarent.

Sæc. XVII. A. C. 1653.

§. XLII.

Variæ deciſiones a ſacris Congregationibus Romanis emanatæ.

Deciſ. S. Congr. Rit. Epiſc. & Concilii.

Nonniſi paucæ hoc anno ſacrarum Congregationum deciſiones reperiuntur, quas inter ſacra Rituum Congregatio ob dubium a Lucanæ Diæceſis Clero motum decidit, quod reliquiæ

Sæc. XVII. A. C. 1653.

Sanctorum existentes sub custodia Capituli, deferendæ sint in supplicationibus per Canonicum, qui Hebdomadarii munere fungitur: die autem vigesima septima ejusdem Mensis ab Episcoporum Congregatione sancitum legitur, quod absolutio ab Excommunicatione concedenda sit satisfacta parte, vel quando delinquens, etiam a Judice sæculari, sufficienter fuit punitus: cum autem anno Christi millesimo sexcentesimo decimo septimo Vendramenus Venetiarum Patriarcha præcepisset, ut a Monialium monasteriis sibi subjectis Confessarii Regulares amoverentur, & in posterum Sacerdotes sæculares adhiberentur, hoc Patriarchæ decretum eadem Congregatio die septima Junii anno hujus sæculi vigesima confirmavit. Regulares vero adhiberi concessit in casu, quo copia Confessariorum sæcularium defuerit; hoc autem anno motum apud Pistorienses dubio rursus eadem S. Congregatio die decima sexta Maii declaravit, quod Regulares generaliter non solum non possint esse Confessarii Ordinarii, sed neque Capellani Monialium Ordinario subjectarum. Pariter ab eadem Congregatione die vigesima tertia Augusti declaratum habetur, quod illa dicantur oratoria privata, quæ in particularibus domibus inservi-

viunt usui privato, nullamque habent januam in via publica, sive ingressum indifferenter omnibus permissum: denique S. Concilii Congregatio die decima quinta Novembris statuit, quod Confessarius Monialium non censeatur approbatus, si fuerit deputatus a laicis sub prætextu Jurispatronatus, aut alterius Privilegii, nisi sit unus ex approbatis pro ceteris laicis ejusdem Diæcesis, eoquod solus ille admittatur, quem Episcopus specialiter deputaverit.

Sæc. XVII. A. C. 1653.

§. XLIII.

Quidam Scriptores Catholici hoc anno denati.

Decessere ex Catholicis Scriptoribus Ecclesiasticis nonnulli, quorum eruditas lucubrationes recensere, operæ pretium est: Hos inter primus occurrit Nicolaus Rigaultius Parisiensis, qui Tertulliani, Cypriani, & Minutii Felicis opera notis illustravit, Albaspinæi tamen & Petavii censuram circa Infantium Baptismum, & Sacerdotalem Laicorum potestatem effugere haud potuit. Exstat quoque illius tractatus de Christi Domini effigie, quam minime speciosam fuisse contendit, a Vavassorio propterea castigatus. Edidit insuper glossarium Lexicon Mysobarbarum,

Dupin Nouv. Bibl. des Auth. Eccl. Tom. XVII. Erhard Bibl. Script. Ord. Præd. Bibl. Script. S. J.

Sæc. XVII. A. C. 1653. rum, obſervationes de populi fundis, notas in Onoſambri Statageticum, Mortualia apta ad ritum priſci funeris, pluraque alia opera critica: Obiit tandem Tulli gravi ſenio confectus die vigeſima tertia Februarii. II. Gabriel Naudæus Virodunenſis Canonicus, qui ſcripſit varios tractatus in librum de imitatione Chriſti, epiſtolam de non diſtrahenda Bibliotheca Mazariniana, monita de inſtruenda Bibliotheca, Bibliographiam politicam, ſyntagma de ſtudio militari & liberali, quæſtiones Philologicas, apologiam pro Proceribus de Magia ſuſpectis, inſtructionem circa veritatem Hiſtoriæ Fratrum rubræ Crucis, præter alia non pauca varii argumenti opuſcula. III. Joannes Dicaſtillo ex Societate edidit librum de Jure & juſtitia, de juramento, & de cenſuris, de Sacramentis, de incarnatione, & de aliis quæſtionibus Theologicis, in quibus tamen ob laxiores doctrinas carpitur. IV, Amabilis Bonnefons itidem Jeſuita, ſcripſit Hiſtoriam ſacram Verbi incarnati, Neophyton ſeu Catechismum, officium Chriſtiani, Epiſtolas & Evangelia cum meditationibus, & Calvariam myſticam. V. Ludovicus de Mertola Carmelita, Magiſter ac Profeſſor Theologiæ Moralis ſcripſit librum de eleemoſyna, ejusque fructibus, tractatum

tum contra Judæos, aliosque hæreticos Sæc. XVII.
præter vitas B. Mariæ Magdalenæ de A. C. 1653.
Pazzis, & Ven. Antonii de Conceptione, & Stephani de Pacificatione, necnon Vitam Fratris Manuelis Tavarez. VI. Ivo Pinsard ex Ord. FF. Præd. Facultatis Parisinæ Doctor, qui præter Trophæum Pietatis edidit librum, cui titulus: *Delegatio Religiosorum, seu examen legitimæ laicorum confessiones excipiendi potestatis*, quem tamen librum apud Sorbonam denuntiatum fuisse, jam supra meminimus: ipse tamen Auctor sexto post anno eundem hunc librum iterato prælo excudi curavit, illumque Michaeli Cardinali Mazarino Aquensi Archiepiscopo nuncupavit. VII. Jacobus Goar ex eodem Ordine notis illustravit Georgii Codini Curopolatæ librum de officiis magnæ Ecclesiæ & Aulæ Constantinopolitanæ, simulque adjecit recentiores Orientalium Episcopatuum notitias, voces honorarias, & appellationes dignitatum indices, quibus postremis sæculis Ecclesiastici, & Aulici honorabantur. Pariter edidit rituale Græcorum, Georgii Monachi & Tarasii Patriarchæ Constantinopolitani chronographiam, necnon Nicephori Patriarchæ Breviarium præter Georgii Syncelli opera, & Synodi Florentinæ Historiam. Exstat quoque ejusdem Authoris liber,

Vid. supra l. 194. §. 85. p. 640. t. 57.

Sæc. XVII. A. C. 1653.

quo comprobatum reddidit, quod Orientales sacram Synaxin sub una specie sumpserint.

§. XLIV.

Quidam Scriptores Acatholici eodem anno mortui.

Freher. Theatr. Erud. Wolff. Bibl. Script. Andr. Bibl. Bal.

Posteritati commendatos sese inter suos reddiderunt ex Scriptoribus Acatholicis hoc anno denatis. I. Cælestinus Mylenta, qui acriori, quam decuisset, stylo insectatus est Rhatmanum, Bergium, Movium, aliosque, scripsit quoque tractatum de Theologiæ habitu & præcipuis fidei articulis præter Collegium suum Theologicum super Corpus Doctrinæ Prutanicum. II. Marcus Boxhornius, qui Historiam sacram & profanam a Christi Nativitate usque ad annum millesimum sexcentesimum quinquagesimum protraxit, ac insuper dissertationem edidit de typographicæ artis inventione, Monumenta & elogia Virorum Illustrium, pluraque alia posteris reliquit. III. Joannes Ressenius, qui præter Philosophica edidit opus de adoratione Sanctorum, amnologiam sacram, Uranologiæ sacræ disputationes duas, Ideam boni Pastoris, Loyologiam sacram, pluresque sermones. IV. Wolfgangus Meyerus scripsit

psit fulcimentum gladii Christianorum Principum de puniendis hæreticis & sectariis, aliumque librum contra adulterinos pietistas, Lavacrum regenerationis sub typo Badensium Thermarum propositum, præter nonnulla alia. V. Joannes Weberus publici juris fecit suum Anti-Lampadium, sententiam Lutheri de doctrina Calvinianorum, desiderium Gentium, tractatum de fide & sanctificatione fidelium, necnon de auctoritate S. Scripturæ. Impugnabat quoque Gretserum, Enthusiastas & Weigelianos: exstat insuper ejusdem liber de vero usu Scripturæ, & controversiis fidei. VI. Elias Ehingerus, qui typis vulgavit hymnos ecclesiasticos, librum de Infantum Baptismo, exercitationes Augustanas, vindicias Lutheri, quæstionem, an corpus S. Dionysii sit apud Ratisbonenses, vel Parisinos, judicia Jesuitarum de confessione Augustana, & quamplurimos alios ejusmodi tractatus. VII. Guilielmus Lyford edidit detectionem errorum suo ævo toleratorum, fundamenta Religionis Christianæ, auctoritatem circa res sacras, necnon Legatum junioribus Christianis ad Sacramentum Eucharistiæ accommodatum. VIII. Christophorus Scheiblerus scripsit tractatum de anima, librum axiomatum, theologiam

Sæc. XVII. A. C. 1653.

Sæc. XVII. A. C. 1653.

logiam practicam per omnes articulos fidei, disputationes de antiqua fide Catholica & aurifodinam Theologicam. Hic idem Præco Lutheranus, dum Tremoniæ apud Westphalos vigesima prima Novembris die in Lutheri sui honorem concionari decrevisset, priusquam cantilena ante concionem præcini solita absolveretur, ipse in Sacristia subsistens, inopina apoplexia correptus est, moxque ibidem animam evomuit. Ea re in vulgus sparsa, fere communis omnium erat opinio, quod jactabundus hic Præco, eoquod indigna laude festivum Lutheri diem in loco olim sacro celebrare statuisset, ex insperato Divinam Nemesin hujus sacrilegæ temeritatis ultricem expertus fuerit. IX. Christophorus Elderfield tractatum evulgavit de regeneratione & Baptismo præter aliud opus de jure decimarum civili.

§. XLV.

Epistola Mechliniensis Archiepiscopi ad Cardinales Inquisitionis Romanæ.

Argentre Coll. Jud. de nov. error. t. 3. p. 268.

Jam anno priori memoravimus, quod Jacobi de Boonen Mechliniensis Archiepiscopi jussu & authoritate quædam nimis laxæ doctrinæ Theologicæ fuerint

rint proſcriptæ, vetitumque, ne ullo pacto in uſum deducerentur, nec tamen propterea nonnulli probabilismo aſſueti ad arctiorem doctrinæ viam revocari poterant, quocirca Archiepiſcopus, ut efficacius remedium malo opponeret, ſtatuit, ut nullus ad Confeſſarii munus admitteretur, niſi jurato ſponderet, quod nuper damnatas propoſitiones nulla ratione propugnare velit: quoniam vero inſuperhabito hoc decreto ex Lovanienſibus Jeſuitis nonnulli coram ipſo Archiepiſcopo examinati has doctrinas tenaciter tuerentur, eapropter illis Archiepiſcopus confeſſiones excipiendi copiam concedere diſtulit, donec ſe in moderandis fidelium conſcientiis præfatas doctrinas minime amplexuros, juramenti religione ſe obſtringerent. Inde vero Lovanienſis Societatis Rector ſe graviter læſum ratus, ceterorum nomine, datis literis ad ſacram Congregationem Cardinalium Inquiſitionis Romanæ de injuria querebatur: nec ſurdas Romæ pulſabat aures; præfata enim Congregatio die decima octava Aprilis Archiepiſcopo injunxit, ut approbatis confeſſiones excipiendi facultatem concederet, niſi juſtas cauſſas, quas intra trimeſtre allegaret, hanc licentiam denegandi habuiſſet. Receptis igitur hiſce literis

Sæc. XVII. A.C. 1653.

Archi-

Sæc. XVII. A. C. 1653. Archiepiscopus suam agendi rationem vindicaturus, die decima septima Julii Bruxellis ad præfatam Congregationem sequentes dedit literas.

Eminentissimi ac Reverendissimi Patres ac Domini,

„Sacræ vestræ Congregationis literas die 18. Aprilis signatas, sequenti „Maji die 21. recepi, quibus indicatur „eam precibus Rectoris Collegii Lovaniensis Societatis Jesu hujus diæceseos inclinatam, censuisse injungendum mihi, „ut Presbyteris Societatis Jesu ejusdem „Collegii alioqui examinatis & approbatis licentias audiendi Confessiones „personarum Sæcularium concedere „non prætermittam; nisi forsan aliquid „in hoc subsit, quod animam meam „contristet, justasque caussas intra tri„mestre coram ipsa sacra Congregatione allegandas, hujusmodi licentias „denegandi habeam: Futurum alioquin, ut alteri Episcopo Facultas de„mandetur, eosdem examinandi atque „approbandi, si intra præmissum spa„tium congruas denegationis meæ ra„tiones proferre neglexero.„

„Hoc est, Eminentissimi Patres, „quod vergente extrema Senecta mea „ad dandam supremo Judici totius vi„lica-

„licationis meæ rationem, ſupra quam „dici poteſt, animum meum contriſtat; „quod non tantum mundum in ma„ligno eſſe poſitum, ſed quotidie vi„deam in pejus & pejus refrigeſcente „Charitate declinare. Hujus miſeran„dæ declinationis cauſſa (ut partim ex„perientia propria obſervavi, partim „ex judicio & relatu virorum, qui mihi „ab integritate morum, Zelo anima„rum, doctrina, & rerum uſu probati „ſunt, ſæpius cognovi) prima & potiſ„ſima eſt hodierna multorum Confeſſa„riorum indulgentia, qua nimis laxant „habenas peccatoribus, fidentes qui„busdam noviter inventis opinionibus „quorumdam Theologorum, quorum „ſtudium non tendit ad ſectandam „Evangelicam veritatem, & traditam „nobis a ſanctis Patribus vitæ normam; „ſed *ad excuſandas excuſationes in peccatis*, „& eorum turpitudinem pallio proba„bilitatis obvelandam. De quibus Pro„pheta Ezechiel: *Væ, qui conſuunt pul„villos ſub omni cubito manus, & faciunt „cervicalia ſub capite univerſæ ætatis ad „capiendas animas.* In ejusmodi perni„ciosis exceſſibus eò usque proceſſum „eſt, ut ſi quis omnia inſolentia para„doxa ex quorumdam Libris & praxi „excerpere velit, quibus hodie Eccleſiæ „præcepta de obſervandis jejuniis, ſe„ſtis,

Sæc. XVII. A. C. 1653.

Sæc. XVII. A. C. 1653.

„ſtis, lectione horarum Canonicarum „eluduntur: Simoniæ, privatæ vindictæ, mendacia, perjuria palliantur; „obligatio vitandi occaſiones peccatorum extenuatur: Sacramentorum valor & effectus evidenti periculo nullitatis exponuntur; non epiſtola una, „ſed liber integer conſcribendus foret. „Cum autem laxæ regulæ, quæ depravatis hominum affectibus allubeſcunt, facile eorum judicio probentur, viſi ſibi ſunt hoc ſucceſſu earum „autores utilem Eccleſiæ operam præſtitiſſe, & auſi petulanter gloriari, ſe „probabilitatum rotis quotidie Cæli „viam ampliare, hoc eſt, ſe terminos „arctæ viæ, quæ ducit ad vitam, ſemel a prima & inflexibili veritate fixos, denuo propriis ſuis adinventionibus refigere.„

„Dum adverſus adulterinam hanc „Theologiam ſolidioris doctrinæ Chriſtianæque diſciplinæ cultorum querelas audivi; & non ceſſant hæretici nobis vicini improperare Eccleſiæ noſtræ „Catholicæ, talia a quibusdam ejus „Doctoribus circa mores tradi, qualia „nec inter gentes audiuntur, laxiores „& periculoſiores articulos, quorum copia hiſce jungitur, partim ex libris „publice editis, partim ex obſervatione praxis quorumdam mihi fideliter „relata

„relata colligi curavi, desuperque e- Sæc. XVII.
„ruditorum meæ Diœceseos, tum sæ- A. C. 1653.
„cularium, tum Regularium judicium
„& censuram exquisivi. Quibus visis
„& expensis conatus sum mollioribus
„remediis huic malo occurrere, per me
„& examinatores meos monendo ad-
„mittendos ad excipiendas Confessio-
„nes, ut sibi a laxiori doctrina cave-
„rent, subinde quoque erudito aliquo
„scripto curavi unum vel plures ex hu-
„jusmodi articulis refutari. Sed cum
„observaverim hanc cautelam nequa-
„quam sufficere, & acrioribus remediis
„opus esse, proposui non admittere vel
„sæculares, vel regulares ad munus
„Confessarii, nisi promitterent etiam
„juramento, quod a dictorum articu-
„lorum praxi sibi caverent. Contigit
„sub hoc tempus, hoc est anno 1652.
„die 28. Aprilis, sese præsentare exa-
„mini plures Religiosos Societatis Jesu.
„Judicavi me oportune tunc posse exe-
„qui, quod animo conceperam, & si-
„quidem inchoando a dictis Religiosis
„Societatis: tum quia existimabam,
„quod dum illi ad dictam promissionem
„præstandam & observandam essent vo-
„luntarii, aliorum quoque Ordinum re-
„ligiosi non essent refractarii: tum quia
„Patres Societatis laxioribus doctrinis
„inveniendis & practicandis præ ceteris

Sæc. XVII. A.C. 1653.

„esse addictos, certis experimentis d
„dici: e quorum multis unum observ
„tum est in examine, anno & die f
„pradictis coram examinatoribus a m
„deputatis instituto. In illo enim di
„Religiosi Societatis ex proposito circ
„articulos periculosos examinati, m
„tos ex illis mordicus sustinuerunt, n
„minatim illum (quem etiam aliun
„mihi constat a Religiosis ejusdem S
„cietatis aliquoties fuisse practicatum
„quod liceat Sacramentaliter absolve
„dimidiate tantum confessos, ratio
„magni concursus pœnitentium, qu
„lis, verbi gratia, potest contingere in d
„magnæ festivitatis aut Indulgentia
„Quo semel admisso passim Confessione
„non integræ erunt, cum dicti Patre
„ad sua Templa trahant magnam p
„puli frequentiam, & insuper grave
„peccatores metu explicandi gravior
„sua crimina avide arrepturi sint oppo
„tunitatem obtinendi absolutionem, pra
„missa tantum explicatione unius alt
„riusve delicti. Hinc septem ex dict
„Religiosis Societatis, qui cæteroqui
„specimen sufficientis doctrinæ dede
„rant, distuli admittere ad Confessio
„nes Sæcularium audiendas, dona
„cum juramento promitterent, quo
„non conformarent se præfatis artic
„lis in dirigendis conscientiis. Qu
„ve

„vero prævidebam fore, quod juramen- Sæc. XVII.
„tum non præstarent sine Superiorum A. C. 1653.
„suorum assensu; hinc dictam copiam
„articulorum illis tradidi, ut Superio-
„ribus exhiberent, promiseruntque se
„illis exhibituros. Sed nullum hacte-
„nus responsum vel illi, vel Superiores
„eorum mihi dederunt, nisi quod ab
„uno e Societate, quem judicabam esse
„Professorem in eorum Collegio Lova-
„niensi, mihi dictum sit, aliquos qui-
„dem ex dictis articulis editos esse a
„Jesuitis in Francia, sed Belgas ad ea
„non attendere. Ad quod replicabam,
„quod cum non soleant permitti im-
„pressiones librorum Societatis, nisi
„postquam a tribus Theologis per Pro-
„vincialem deputatis approbati essent,
„nemini dubium esse posset, quin om-
„nes de Societate haberent pro proba-
„bili id, quod tot Theologis cum au-
„tore libri visum fuisset, imprimi posse.
„Quibus omnibus consideratis hucus-
„que non potui comprehendere, cur
„per exactionem dictæ promissionis dicti
„Patres sibi per me aliquod gravamen
„inferri existimarent. Quodsi præten-
„sa sua gravamina allegassent, ea ma-
„ture expendissem, & si justas aliquas
„querelas proposuissent, nequaquam
„inhærere proposito meo voluissem: non
„enim mihi mens fuit, quidquam ini-

Sæc. XVII. A. C. 1653.

„quo animo adversus illos statuere; se
„ruinam Salutis ovium mihi commissa
„rum ab invalescente hodie laxitate
„quorundam Confessariorum, quos
„præsertim e Societate verebar, aver
„tere. Quia vero suspicari non poti
„alio ipsos prætextu ad subterfugien
„dum uti, quam quia forte inter cen
„suratos articulos aliqui sunt, quos
„forsan existimant, benigna interpre
„tatione se posse in meliorem partem
„trahere, vel plausibilibus argumenti
„ita stabilire, ut non videantur tam
„acrem Censuram mereri, ne multas
„intricatas disputationes sine spe utili
tatis cogerer ingredi, eosdem artic
„los transmisi Facultati Theologic
„Academiæ Lovaniensis maturius ex
„pendendos, ut tantummodo excerpt
„inde assertionibus, quæ plane evide
„tis sunt absurditatis, digna eos cen
„sura perstringeret: & si quas alias p
„ris absurditatis vel ex libris, vel e
„praxi Confessariorum comperisset, i
„lis excerptis adjiceret, prout factu
„est partim 30. Martii, partim 26. Ap
„lis 1653. dum assertiones numero 1
„judicavit in praxi non tolerandas, d
„authoritate Superiorum merito prohi
„bendas, ut ex adjuncta copia vide
„potest.„

„U

„Ut igitur *Eminentissimi Domini*, man- Sæc. XVII.
„dato vestro in omnibus paream, quan- A. C. 1653.
„tum possum, & interim in eliminandis
„perniciosis doctrinis id, quod Episco-
„palis est muneris, non prætermittam;
„paratus ero Religiosos Societatis, quan-
„do nihil obstabit aliunde, ad excipien-
„das confessiones admittere: dummodo
„cum juramento debite autorisati pro-
„mittant, quod saltem 17. istis assertio-
„nibus, quas similiter aliis tam Sæcu-
„laribus quam Regularibus proponam,
„nunquam in praxi se conformabunt.
„Quod confido Eminentias vestras æ-
„quissimum judicaturas. „

„Duo insuper sunt, de quibus Emi-
„nentias vestras hac occasione certio-
„res reddere volui: nimirum quod a
„Regularibus non observetur Decretum
„sacræ Congregationis negotiis & con-
„sultationibus Episcoporum & Regula-
„rium præfectæ, de die decima quinta
„Junii anni 1647. quo declaratum, Re-
„gularibus non competere licentiam ab-
„solvendi a Casibus Ordinario loci re-
„servatis, aut in posterum reservandis;
„proinde non posse illa facultate uti
„sine licentia ab Ordinario obtenta;
„tametsi dictum Decretum curaverim
„tertia mensis Octobris anni 1647. om-
„nium ordinum Regularium Superiori-
„bus insinuari. Nam unus tantum re-

Sæc. XVII. A. C. 1653.

„gularis ex Ordine sancti Augustini fa-
„cultatem illam a me petiit, cui etiam
„tanquam viro cordato & timorato eam-
„dem concessi. Cæteri prætendunt, ne-
„scio quæ privilegia, aut privilegiorum
„communicationes, insuper Decreti nul-
„litatem, quia ipsis inauditis emana-
„rit. Alii dicunt, illud tantum esse
„declaratorium, proindeque non valere
„adversus sua privilegia, quæ non ces-
„sant sine Decreto, ut ajunt, abroga-
„torio. Quin etiam aliqui sunt tam
„temerarii, ut audeant dicere, neque-
„dem Sanctissimum Dominum ipsorum
„privilegia revocare aut limitare posse,
„cum sint eis concessa ob sua merita.

„Alterum est, quod Regulares ple-
„rimi in mea Diæcesi excipiant Con-
„fessiones, etsi nec a me, nec a Præ-
„decessoribus meis approbati sint; præ-
„tendentes satis esse, quod approbati
„sint ab alterius Diæcesis Episcopo.
„Ideoque nuper mandavi, ut ex copia
„Mandati adjuncta patet, omnibus Re-
„gularibus, ut nomina & tempus ap-
„probationis a me, aut Prædecessori-
„bus meis datæ exhiberent: quod a
„plerisque factum est, & deprehensum
„quoque, multos se intrusisse in munus
„Confessarii in mea Diæcesi sine dicta
„approbatione. Sed, quod non satis
„mirari possum, ubi mandatum illud

„veni-

„venit ad notitiam Abbatis ſancti An- Sæc. XVII.
„geli in Belgio ſuæ Sanctitatis Inter- A. C. 1653.
„nuntii, voluit, & mihi inſinuari cu-
„ravit, ut dictum mandatum revoca-
„rem: Cum tamen præterquam quod
„antiquitus ita obſervatum ſit, & in
„Synodo Provinciali Mechlinienſi a
„ſummo Pontifice Paulo V. confirmata,
„pro regula conſtitutum ſit, tit. 5. c. 1.
„de Sacramento Pœnitentiæ verbis
„comprehenſis articulo hic adjuncto,
„etiam Sanctiſſimus D. N. nuper ſuo
„Brevi expedito anno Domini 1648.
„14. Maji in cauſſa Epiſcopi Angelopo-
„litani, idipſum voluerit obſervari, de-
„cernens Regulares, etiam Societatis
„Jeſu in una Diæceſi ab Epiſcopo ap-
„probatos ad Confeſſiones perſonarum
„Sæcularium audiendas, nequaquam
„poſſe in alia Diæceſi hujusmodi Con-
„feſſiones audire ſine approbatione Epi-
„ſcopi Diæceſani, prout Eminentiis
„veſtris ſcio eſſe notorium.„

„Hæc ſunt, Eminentiſſimi ac Re-
„verendiſſimi Patres ac Domini, quæ
„pro diſciplinæ Eccleſiaſticæ bono ſa-
„cræ Congregationi veſtræ ſignificare
„volui, confidens pio ejus Zelo & vi-
„gilantiæ, quod non gravabitur mihi
„adhuc alios efficaciores modos & me-
„dia præſcribere, quibus ejusmodi non
„negligendis abuſibus obviare poſſim;

Sæc. XVII. A. C. 1653.

„& cum omni ſubmiſſione venerandæ „purpuras veſtras maneo.„

§. XLVI.

Janſeniſtarum molimina poſt promulgatam Innocentii X. Conſtitutionem.

Hiſt. des cinq. Prop. de Janſ. l. c. Diar. S. Amour. Janſeniſ. Hiſt. brev.

Quamvis Janſeniſtæ quinque propoſitiones illas velut genuinam Janſenii doctrinam, paulo ante propugnaſſent, ac propterea earum damnationem toto niſu impedire ſtuduiſſent, mox tamen ubi Innocentii X. Bullam non modo in Galliis, ſed & in omnibus ferme Regnis & Provinciis promulgatam, receptamque fuiſſe compererant, ut eandem Conſtitutionem, quam nec palam impugnare audebant, nec ei ſeſe ſincera mente ſubmittere, decorum cenſebant, variis ſaltem effugiis cavillationibus, & verſutiis eluderent, ſtudioſe quamplurimis in vulgus ſparſis libellis demonſtrare nitebantur, quinque harum propoſitionum doctrinam non eſſe doctrinam Janſenii, nec eas etiam damnatas fuiſſe in ſenſu Janſenii, neque in hoc ſenſu a Papa eas damnari potuiſſe, eo quod ea ſit quæſtio facti, quam nec Pontifex, nec ipſa Eccleſia definire poſſet: inde autem ortum traxit controverſia de infallibilitate Pontificis, & fuca-

fucata illa diſtinctio *juris & facti*, quæ a Janſeniſtis optatiſſimus, & tutiſſimus naufragis conſcientiis portus appellatur, potiori autem jure omnium turbarum, quibus Eccleſia per plusquam quinquaginta annos jactabatur, origo ac ſeminarium eſſet vocanda. Fatebantur tamen ex ipſis Franciæ Janſeniſtis nonnulli, quod quinque propoſitiones in ſenſu Calvini a Papa damnatæ non fuiſſent, partim quod prima & tertia a Calvini *omne* meritum excludentis, & *omnia* præcepta *quibuscunque* eſſe impoſſibilia docentis mente alienæ eſſent, partim quod ipſimet Janſeniſtæ has propoſitiones tanquam *ex Janſenio* extractas examinari, atque in ejus ſenſu a Pontifice proſcribi petierint, nec neceſſaria fuiſſet adeo operoſa biennii diſcuſſio ſenſus Calviniani jam antea a Tridentino Concilio damnati, & de quo tunc nulla mota fuiſſet quæſtio, nec ejusdem error a quopiam Janſeniſta propugnatus. Immerito etiam querebantur alii, quod Pontificis Conſtitutione nullatenus pax Eccleſiæ fuerit reddita, ſed inde nova diſſidia & altercationes fuerint exortæ; ipſas enim Nicænæ, Epheſinæ, Chalcedonenſis, & Tridentiæ Synodi definitiones tanquam inutiles & nocivas explodere debuiſſent, cum pariter ex damnatis

Sæc. XVII. A. C. 1653.

Sæc. XVII. A. C. 1653.

hiſce erroribus ſeu potius ex ſectarorum pertinacia novi tumultus fuiſſent progerminati.

§. XLVII.

Franciæ Præſulum conſultatio contra Janſeniſtarum effugia.

Argentre collect. Jud. t. 3. p. 277. Recueil pag. 117. Relat. Cler. Gall. pag. 8. edit. 1661.

Ex hiſce Janſeniſtarum ſcriptis ac ſermonibus Franciæ Præſules haud obſcure cognoverant, quod illi excogitata ſua diſtinctione nonniſi aliorum oculis fucum facere, Pontificiæ cenſuræ auctoritatem evertere, & Janſenianæ doctrinæ a Papa damnatæ, quam tueri cæperant, ulterius adhærere intenderent: Ut igitur Præſules Gallicani hiſce Janſeniſtarum molitionibus tempeſtive remedium opponerent, quotquot tum Pariſiis agebant, ad diem octavam Martii Conventum celebrarunt, quid in periculoſa hac rerum viciſſitudine agendum, deliberaturi. Præprimis igitur Marmieſſus Abbas Cleri Gallicani Procurator, ac poſtea Conferanenſis Epiſcopus congregatis Præſulibus expoſuit, quod Janſeniſtæ ad eludendum obſequium, quod oretenus Pontificiæ Conſtitutioni antea ſpopondiſſent, palam propugnarent, quod quidem in quinque hiſce propoſitionibus doctrina ab Eccleſia ſit infallibiliter dam-

damnata, ea vero in Janſenii libro non contineretur, ſed ab Orthodoxæ doctrinæ hoſtibus Janſenio perperam attribueretur. Percepta Procuratoris relatione Præſules congregati quatuor Archiepiſcopos Victorem Buthelierum Turonenſem, Georgium Aubuſſonium Embrodunenſem, Franciſcum Harlayum Rotomagenſem, & Petrum de Marca Toloſanum præter quatuor Epiſcopos Ludovicum Attichium Auguſtodunenſem, Petrum Bertierum Montalbanenſem, Henricum de la Mothe Houdencurtium Redonenſem, & Jacobum Leſcotum Carnutenſem, omnes Viros ſcientiæ præſtantia claros ſelegerunt, ut Janſenii librum ſedulo ad examen revocarent, adverſæ partis ſcripta mature diſcuterent, & damnatas quinque propoſitiones cum verbis & doctrina Janſenii conferrent: Nec viciſſim otiabantur Janſeniſtæ; hi enim præprimis ad hunc Præſulum conventum duos libellos typis excuſos detulerant, quorum primo demonſtrare nitebantur, adverſarios ſuos nil aliud intendere, quam ut damnatis Janſenii opinionibus eo ipſo Divi Auguſtini doctrina damnaretur, altero autem demonſtratum ibant, quinque haſce propoſitiones in Janſenii libro non reperiri, ſed hunc Auctorem potius contrariam doctrinam tradidiſſe. Hæc, cete-

Sæc. XVII. A. C. 1653.

Sæc. XVII. A. C. 1654.

ceteraque Janſeniſtarum ſcripta in decem omnino Congregationibus ſumma diligentia diſcutiebantur, poſtea vero die vigeſima ſexta Martii octo Præſules Deputati ad plena Cleri comitia Luparæ coram Mazarino Cardinale habita acceſſerunt, atque inter eos Embrodunenſis Archiepiſcopus retulit, quod excogitata Janſeniſtarum diſtinctio inter quæſtionem juris & facti ad Pontificis conſtitutionem penitus evertendam tenderet; ſi enim, inquiebat ipſe, hæ propoſitiones non ſunt Janſenii, ſed eidem falſo adſcripti, Janſenii doctrina a Pontificis definitione foret immunis, ſi autem eædem propoſitiones duntaxat in ſenſu indeterminato fuerunt proſcriptæ, & in ſenſu orthodoxo æque ac hæretico accipi poſſunt, Pontificis Conſtitutio foret illuſoria, & controverſia minime deciſa: poſtmodum idem Præſul demonſtrabat, ſpectato totius doctrinæ Janſenianæ contextu, Authorisque propoſito conſtare, quod quinque Propoſitiones in Conſtitutione Pontificia damnatæ in Janſenii libro continerentur. Hanc in rem Archiepiſcopus Janſenii textus quinque proſcriptis propoſitionibus conſonos prælegit, hasque in proprio earum ſenſu ſeu in Janſenii ſenſu damnatas fuiſſe oſtendit. His perceptis, ac mature diſcuſſis omnium

ſuffra-

suffragio decisum, ad reddendam Ecclesiæ pacem, & conciliandos utriusque partis animos nil magis expedire, quam quæstioni per Constitutionem decisæ insistere, simulque declarare, quinque hasce propositiones ex Jansenii libro fuisse decerptas, easque in proprio earum sensu, seu Jansenii sensu damnatas, ac de rebus hucusque gestis Pontificem datis literis certiorem esse reddendum, simulque encyclicam epistolam ad omnes Franciæ Præsules mittendam, ut hi eo facilius Jansenistarum versutias dissipare valerent. Opposuere Jansenii sectatores, quod quidem harum propositionum, in quocunque demum sensu accipiantur, damnationi assentiant, nunquam tamen admissuri sint, eas Jansenii sensum præseferre. Nihilominus Præsules censuerunt, ut Delegatorum suffragia, necnon propositum ab eis remedium die vigesima octava Martii adhucdum maturiori deliberationi reservaretur, interim vero cuilibet integrum foret, Jansenii textus cum quinque proscriptis propositionibus conferre.

Sæc. XVII. A. C. 1654.

§. XLVIII.

Ulterior Cleri Gallicani deliberatio.

Præstituta die Delegati Præsules in publico consessu non modo discusserunt

Sæc. XVII. A.C. 1654.

runt Jansenii, sed etiam D. Augustini textus, per quos Jansenistæ in suis scriptis comprobare nitebantur, Jansenii doctrinam a quinque propositionum censura remotissimam esse, harumque proscriptione simul Divi hujus Doctoris doctrinam proscribi: Demum unanimi suffragio conclusum, quod Jansenii fautores sublesta fide Jansenii textus allegarint, indubium autem esset, quod genuina S. Augustini doctrina omnino Constitutioni Pontificiæ consona, & Jansenii opinionibus contraria foret. Hanc in rem Gallicani Præsules observabant, quod sanctus hic Doctor circa gratiam ea docuerit, quæ ad fidei regulam spectant, adjunxerit tamen alias quasdam quæstiones, quæ nec ad fidem pertinent, nec a Papa Cælestino definitæ fuerant: Jansenii autem opiniones in quinque damnatis propositionibus contextæ non sint ex numero quæstionum posteriorum, sed adversantium priscæ Regulæ fidei, quam S. Augustinus valide propugnavit, ejusque genuinam mentem Tridentina Synodus vere interpretata est, nullus vero Catholicus ante Baium hujus S. Doctoris doctrinam in sensu Jansenii interpretatus, sed interpretatione falsa Jansenius postmodum usus sit. His subjunxit Cardinalis Mazarinus, nulli unquam nec in

in Francia nec in Belgio ante Pontificis Constitutionem dubium fuisse, quin quinque propositiones velut in Synopsi doctrinam Jansenii complecterentur, id vero primum post earum condemnationem in dubium fuisse vocatum, ut hac ratione decisio Pontificia eluderetur: ipsum vero Jansenium, an sua doctrina esset vera, & D. Augustino consona, dubitasse, exin argui posse, quod suas opiniones sacræ Sedis censuræ subjecisset, cui utique nequaquam sancti Augustini doctrinam, sed potius privatam suam interpretationem *a quingentis annis in Theologiæ Scholis incognitam* subjicere voluit. Postmodum idem Cardinalis allatis variis exemplis, quibus antiquiores hæretici variis verborum ambiguitatibus Catholicorum Præsulum sinceritatem decipere nitebantur, Jansenistarum effugia confutabat, & *ponderatis scriptis* ultro citroque editis totius consessus nomine declarabat, quod quinque hæ propositiones essent Jansenii, & quidem in sensu Jansenii per Papam damnatæ, proin Pontifex de hac Cleri Gallicani sententia datis ad eundem literis certior redderetur.

Sæc. XVII. A. C. 1654.

§. XLIX.

Sæc. XVII.
A. C. 1654.

§. XLIX.

Franciæ Præsulum epistola ad Innocentium X. Pontificem Maximum.

Argentre l. c. p. 278.

Approbata hac sententia Franciæ Præsules tum Parisiis congregati Lutevano Episcopo Romæ agenti negotium dabant, ut sequentes literas summo Pontifici nomine Cleri Gallicani porrigeret:

Beatissime Pater!

„Post promulgatam ab universis Gallia„rum Episcopis Sanctitatis Vestræ „Constitutionem, qua quinque Propo„sitiones e libris *Cornelii Jansenii*, Ypre„sis Episcopi, excerptæ damnantur, „nihil aliud expectandum videbatur, „præcipue a Gallis, qui in Sede Apo„stolica colenda semper potiores fue„runt, quam ut pura & non fucata con„cordia, in veræ fidei unitate omnium „animi conspirarent. Sed dissidiorum „auctor tam singulare, & piis omnibus „summopere expetendum bonum Gal„liis invidit: quodque palam obtinere „non poterat, nempe ut a debita Sedi „Apostolicæ reverentia, per apertum „Constitutionis editæ contemptum re„cederetur, callidis molitionibus ad

sim-

„simplicium & incautorum mentes sub- Sæc. XVII.
„vertendas aggredi tentavit. Quare ad A. C. 1654.
„munus Episcopale pertinere putavi-
„mus, recens excitatas a Clericis nu-
„mero paucis contentiones definitione
„nostra compescere, qua Constitutio-
„nis Apostolicæ integra executio, quæ
„nobis commissa est, adversus alienas
„a vero illius sensu expositiones sancia-
„tur. E vetere fidei deposito, cujus
„custodia Cathedræ Petri a Christo
„concredita est, partim adimere ten-
„tant, decreti Apostolici Majestatem
„ad fictas controversias dirimendas tur-
„piter dejiciendo. Quinque etenim
„Propositiones Decreto illo proscriptas
„damnare se quoque profitentur, sed
„alio plane sensu, quam qui a Jansenio
„traditus & explicatus est, ad quem
„propositiones illas nullatenus perti-
„nere constantissime asserunt. Hac arte
„restaurandis disputationibus iisdem
„sibi locum apertum relinquere parant,
„& redivivæ litis prolixam materiam.
„Quare ut his incommodis prævertere-
„tur, & Constitutioni Auctoritas sua
„constaret, atque sincera ejus executio
„sequeretur, Nos in hac urbe Parisiensi
„congregati censuimus, & per episto-
„lam encyclicam, his literis adjunctam
„declaravimus, Propositiones illas &
„opiniones esse *Cornelii Jansenii*, & in

Sæc. XVII. A. C. 1654.

„ſenſu ejusdem *Janſenii* a Sanctitate Ve-
„ſtra damnatas diſertis & manifeſtis
„verbis. Poſtquam enim auctor ille uſur-
„patione privata, novam Doctrinam
„ſub ſpecie veteris inducebat, neces-
„ſum fuit, ut Apoſtolica Sedes, judic-
„lato eam, ex publica & antiqua Eccle-
„ſiæ traditione refelleret, ne Chriſti-
„næ fidei doctrina pravis ab illo ſcri-
„ptore ad teſtimonia veterum Patrum
„quos laudat, adhibitis interpretatio-
„bus obrueretur. Nihil quippe aliud
„egit Conſtitutione ſua Innocentius I.
„quam ut auctoritatis ſuæ præſidio ar-
„tiquam fidem muniret, non dicendo
„nova, ſed dicendo nove juxta re-
„ceptas in Scholis Theologicis locu-
„tiones, quibus *Janſenius* quoque ut-
„tur. Eo pacto Beatitudo Veſtra la-
„quido explicuit, atque confirmavit
„regulam fidei de gratia, & libero
„arbitrio, quam ex parte prius affer-
„tam adverſus Manichæos, quæ
„attinet ad arbitrii libertatem, poſte-
„Deceſſores veſtri Innocentius I. & Zo-
„zimus, cooperantibus Africanorum
„Conciliorum literis contra Pelagianos
„plene conſtabiliverant: Quamque de-
„inde Cæleſtinus I. ac Concilium Ar-
„rauſicanum, juxta Capitula a Sede
„Apoſtolica transmiſſa, & Superiori
„Sæculo Tridentinum, ſollicite atque
„dili-

„diligenter enucleatam definierant. „Quapropter & Conſtitutionem ordine „Canonico latam, atque genuino in „ſenſu intellectam, quem literæ iſtæ „patefaciunt, devotiſſimo obſequio nos „ſuſcipere teſtamur: præterea vero da„turos operam profitemur, ne quis cu„ræ noſtræ ſubditus, impune contra„ria veſtris definitionibus docere, ſcri„bere, aut loqui præſumat, pœnis in „hæreticos a jure decretis alioquin a „nobis ſtatim puniendus. Ex qua con„cordi omnium Sententia ſubſcriptio„nibus noſtris firmata, Beatitudo Ve„ſtra facile intelliget, nulli e Collegio „noſtro propoſitum fuiſſe, ut aliquid „Dignitati Conſtitutionis adverſum pro„ferret, aut ſcriberet: Quinimo deſi„gnatum eſſe nobis, pleniſſima vene„ratione ſacram B. Petri Sedem, & „Sanctitatem Veſtram colere, cui pro„ſperos & felices annos vovent, qui „ſunt cum ea, qua par eſt, obſervantia.„

Sæc. XVII. A. C 1654.

Beatiſſime Pater!

Sanctitatis Veſtræ.

Devotiſſimi & addictiſſimi Filii, Cardinales, Archiepiſcopi, & Epiſcopi Galliæ in Pariſienſi Urbe congregati.

Sæc. XVII.
A. C. 1654.

§. L.

Alia eorumdem Præsulum epistola ad omnes Franciæ Archiepiscopos & Episcopos contra Jansenistas.

Argentrel. c. Hist. cinq. prop. l. 2. Recueil Hist. ann. 11. ex Bibl. Sorb.

EOdem tempore præfati Præsules ad omnes Franciæ Archiepiscopos & Episcopos adversus Jansenistarum subterfugia epistolam encyclicam dederunt hujus tenoris:

CARDINALES, ARCHIEPISCOPI ET EPISCOPI PARISIIS AGENTES: SALUTEM IN CHRISTO ET FELICITATEM.

„Quod B. quondam Augustino, „aliis Concilii Carthaginensis & Milevitani Patribus, magnis illis Divinæ „gratiæ Defensoribus, assertoribusque „contigit, idem nunc prorsus eveniat „nobis videtur. Sperabant illi, sed „frustra, post librum quemdam, cujus „auctor Scriptorque fuerat Pelagius, „ab Innocentio I. Papa anathematizatum, „tum, & damnatum Pelagianos non „ausuros ulterius de gratia illa perversa „& perniciosa sentiendo loquendoque „pectora fidelia & simpliciter Christiana „turbare, sed tanti Præsulis auctoritate „tati cessuros. Et spes quoque non „er-

„erat, homines eos, qui se Cornelii „Jansenii Episcopi Yprensis amatores, „sectatoresque profitentur, post ejus „ab Innocentio X. anathematizatas, & „damnatas quinque opiniones desituros „tandem ab omni motu, atque cum „suo ille decreto imperasset ventis, fu„turam in Ecclesia tranquillitatem ma„gnam, sed contra plane, quam expe„ctatum a nobis fuerat, accidit, mira„rique satis non possumus, post æquissi„mam Sanctissimamque Constitutionem „illam, qua Beatissimus Pater Inno„centius X. prædictas quinque Propo„sitiones damnavit, & iis quidem ver„bis, quibus nihil dici potest expres„sius, nihil clarius, homines illos af„firmare, imo & persuadere aliis velle „res duas vanas & omnino inanes: al„teram, quinque illas propositiones non „esse Jansenii: alteram, damnatas esse „eo sensu, qui ad Jansenium nihil per„tineat. Potest enim quicquam esse „absurdius, quam tueri id velle, cui „refellendo revincendoque nihil opus „sit rationibus, nihil disquisitione etiam „mediocre aut levi, sed sola Pontificiæ „Constitutionis, quæ per seipsam rem „totam aperte dirimit, lectione? Et „quidem cum ejusmodi sint duæ res „illæ, ut multis videri possint ipsa per „se & sponte sua ruituræ, atque adeo

Sæc. XVII. A. C. 1654.

Sæc. XVII. A. C. 1654.

„ſpernendæ prorſus & negligendæ: no-
„bis tamen, quibus compertum eſt,
„eas ignorantibus, infirmisque non pa-
„cis eſſe offendiculo, quibusque pro
„muneris noſtri ratione id præſertim in-
„cumbit, ut tollamus omnia ſcandala
„de Regno Dei, viſum fuit, occurre-
„dum eſſe huic malo, comprimendum-
„que mature hoc virus, quod jam ab-
„quos occupavit. Quod ut fieret ac-
„curatius, & pro ea, qua par erat,
„gravitate, dignitateque, quotquot in
„hac urbe Regni primaria negotiorum
„Eccleſiaſticorum cauſſa fuimus Car-
„dinales, Archiepiſcopi, Epiſcopi, con-
„lecti in unum cenſuimus, hoc, quid-
„quid eſt rei, committendum eſſe cu-
„ræ ac diligentiæ Illuſtriſſimorum Re-
„verendiſſimorum Fratrum noſtrorum
„Archiepiſcoporum Turonenſis, Ebro-
„dunenſis, Rothomagenſis, Toloſani,
„& Epiſcoporum Eduenſis, Montalbo-
„nenſis, Rhedonenſis, & Carnotenſis.
„Sic tamen, ut quidquid inter ſe ipſi
„legiſſent, obſervaſſent, ſenſiſſent, re-
„ferrent ad nos. Lis vero ex ipſa Con-
„ſtitutionis lectione, atque inſuper ex
„opere Janſeniano, quod etiam quan-
„tum ad quinque illas Propoſitiones at-
„tinet, ſtudioſe legerunt, expenderun-
„que (quamquam ſola per ſe ad id ſuf-
„ficiat Conſtitutio) manifeſtum & per-
„ſpectum

„ſpectum fuit, illas quinque propoſi- Sæc. XVII.
„tiones vere eſſe Janſenii, & damnatas A. C. 1654.
„eſſe in vero ac proprio verborum ſenſu,
„& eo plane, quo *a Janſenio* tradun-
„tur & explicantur. Atque cum id
„ipſi ad nos, ſcilicet in unum rurſus
„congregatos, retuliſſent, & a nobis
„quoque idem cognitum & exploratum
„fuiſſet, declaravimus, & hoc noſtro
„judicio declaramus, rem plane ita ſe
„habere, & nullum dubitandi eſſe lo-
„cum. Quare & eos, qui quinque il-
„las propoſitiones tuentur, aut pro-
„bant, vere eſſe ex eorum numero,
„quos Innocentius X. ſua illa in Con-
„ſtitutione vocat contradictores & re-
„belles, & quos vult a Patriarchis,
„Archiepiſcopis & Epiſcopis per cenſu-
„ras & pœnas contra hæreticos, & eo-
„rum fautores in jure expreſſas, cæte-
„raque juris & facti remedia opportu-
„na, invocato etiam ad hoc, ſi opus
„fuerit, auxilio brachii ſæcularis, om-
„nino coerceri & compeſci. Id vero
„nos omnes, quantum in nobis quidem
„erit, effecturi ſumus, rogamusque, quot-
„quot hinc abſunt, Gallicani Cleri di-
„lectiſſimos Fratres noſtros, ut idem
„quoque pro virili præſtent, ut ſic idem
„omnes ſentiamus ſecundum Jeſum
„Chriſtum & unanimes, atque uno
„ore honorificemus Deum, & Patrem

Sæc. XVII. A. C. 1654

„Domini Nostri Jesu Christi, ædifice-
„mus Ecclesiam Dei: atque adeo nos
„ipsos, & eos, qui nos audiunt, co-
„ræque nostræ sunt ab ipso commissi
„salvos faciamus.„

§. LI.

Innocentii X. Papæ responsum, ad Franciæ Præsulum epistolam.

Collect. monum. Cler. Gall. tom. I. Argentre l. c.

Summa animi lætitia Innocentius X. Papa literas Franciæ Præsulum perlegerat, ac die vigesima nona Septembris ad universum Galliæ Clerum paulopost in suis comitiis congregandum sequentes dedit literas:

„Dilecti Filii nostri, ac Venerabiles
„Fratres, Salutem & Apostolicam Be-
„nedictionem. Ex literis, quas a vo-
„bis die vigesima octava Martii proxi-
„me elapsi ad nos datis, a venerabili
„Fratre Episcopo Lodevensi accepimus
„jucundum sane accidit, probari nobis
„luculentius vestræ pietatis Zelum in
„iis partibus obeundis, quas nos omni-
„bus Pastoralis officii Administris in-
„junximus, ut, qua par est, obedien-
„tia ubique servari curent Constitutio-
„nem nostram, qua die trigesima pri-
„ma Maji anni millesimi sexcentesimi
„quinquagesimi tertii damnavimus in
„quinque propositionibus *Cornelii Jan-*
„*senii*

„*senii* doctrinam, ejus libro contentam, „cui titulus: *Augustinus*. Atque ideo „placet arctam exinde in vos benevo- „lentiam nostram hoc itidem locuple- „tissimo literarum nostrarum testimonio „palam fieri majoribus etiam in dies „argumentis vobis præclarius consti- „tutam; ac simul vos, dilecti Filii no- „stri, & venerabiles Fratres, ac cæte- „ros quoscunque Regni istius Episcopos „hortamur quam vehementer in visce- „ribus Jesu Christi, ut studio & conatu „prorsus unanimi conspirantes in Do- „mino in id sedulo operam detis, quod „opportunius validiusque contulerit ad „executionem stabiliendam, ac firman- „dum penitus usum ejusdem nostræ „Constitutionis, nostri itidem Decreti, „quo Sanctionem ipsam necessario con- „sequente, die vigesima tertia Aprilis „anno millesimo sexcentesimo quin- „quagesimo quarto libri quoque de ea „re editi damnantur. Id vero, si vos „una & constanter exequimini, piæ sol- „licitudinis Zelum, quo sanctæ huic „Sedi, ac nobis egregie obsecuti hacte- „nus estis, insigni profecto meritorum „incremento cumulabitis, ac sponte „propensam in vos Pontificiam volun- „tatem excitabitis majorem in modum „ad benevolentissimos erga vos sensus „Apostolicæ charitatis, qua interim

Sæc. XVII. A. C. 1654.

Sæc. XVII. A. C. 1654.

„vobis ex animo benedicimus. Datum „Romæ apud sanctam Mariam Majo„rem sub annulo Piscatoris, die 29. Se„ptembris 1654. Pontificatus nostri an„no decimo..,

Hoc Pontificis responsum, quod præfatus Ludevanus Præsul Roma Parisios retulit, anno sequenti die vigesima Martii in Præsulum conventu prælectum, atque unanimi omnium applausu receptum est, decretumque, ut omnes Canonici, Universitatum Rectores, Communitates, Parochi & Beneficiis provisi, omnesque eorum subditi huic Pontificis Constitutioni & literis subscriberent: inde iidem Præsules occasionem arripuere, ut in suo Conventu Luparæ celebrato contra Jansenii librum sequentem professionis formulam præscriberent: „Ego N. Constitutioni Apostolicæ Innocentii Papæ „die trigesima prima Maji Anno Do„mini millesimo sexcentesimo quinqua„gesimo tertio emanatæ juxta verum „sensum in Cleri comitiis die vigesima „octava Novembris anno 1654. explica„tum, & postea per Sanctitatis suæ li„teras die vigesima nona Septembris „ejusdem anni confirmatum me sincero „animo subjicio, & ore ac corde quin„que propositionum in ejus libro, cui „titulus: *Augustinus*, contentarum do„ctrinam

„ctrinam condemno, utpote quæ non „est Augustini doctrina, sed a Jansenio male & contra verum sensum Sancti „hujus Doctoris intellecta.„ Ceterum nonnisi Meldensis, Ambianensis, & Rhemensis Episcopi encyclicis ad suum Clerum literis hanc subscriptionem urgebant.

Sæc. XVII. A. C. 1654.

§. LII.

Plura opuscula in Jansenii defensionem edita, & ab Innocentio Pontifice proscripta.

Hoc ipso anno die vigesima tertia Aprilis idem summus Pontifex non modo Jansenii librum Lovanii, Parisiis & Rothomagi typis excusum, sed plures alios libellos in Jansenii favorem editos damnabat, promulgato desuper in Generali Congregatione Romanæ Inquisitionis Decreto sequenti: „SS. Dominus noster Innocentius Papa X. post „condemnatam sua constitutione edita „pridie Kalendis Junii anni Incarnationis Dominicæ 1653. in quinque propositionibus Augustini Cornelii Jansenii Episcopi Yprensis doctrinam, ne „occasione doctrinæ prædictæ in mentes Christi fidelium aliquod dubium „vel error irrepat, eundem Augustinum Cornelii Jansenii iterato una cum „aliis

Hist. Brev. Jans. p. 65.

Sæc. XVII. A. C. 1654.

„aliis infra ſcriptis libris, prohibet & „damnat &c. Inter iſtos autem alios „libros inveniuntur ſequentes: *Rationes „ob quas Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus „D. Archiepiſcopus Mechlinienſis abſtinuit a „promulgatione Bullæ, qua proſcribitur liber „cui titulus*, Cornelii Janſenii Epiſcopi „Yprenſis Auguſtinus 1649. *quocumque idiomate impreſſus.*

Item *defenſio Belgarum contra evocationes cauſſarum, & peregrina judicia primæ, ſecundæ, ſeu alterius editionis.*

Breviſſima quinque propoſitionum in varios ſenſus diſtinctio, apertaque de iis tum Calviniſtarum, tum Lutheranorum, tum Pelagianorum & Moliniſtarum, tum S. Auguſtini, ejusque Diſcipulorum Sententia. Sive typis, ſive ſcripto extet.

„Cæterum cum tam Romæ quam „alibi circumferantur quædam aſſerta „Acta, manuſcripta, & forſan typis „excuſa, Congregationum habitarum „coram fel. recordat. Clemente VIII. „ac Paulo V. ſuper quæſtione de Auxiliis divinæ gratiæ, tam ſub nomine „Franciſci Pegnæ olim Rotæ Romanæ „Decani, quam Fratris Thomæ de Lemos Ordinis Prædicatorum, aliorumve Prælatorum & Theologorum, qui „ut aſſeritur, prædictis interfuerunt „Congregationibus, necnon quoddam „autographum ſive exemplar cujusdam

„aſſer-

„assertæ Constitutionis ejusdem Pauli V. „super definitione prædictæ quæstionis „de Auxiliis, ac damnationis Sententiæ seu Sententiarum Ludovici Molinæ Societatis Jesu: eadem Sanctitas „sua præsenti hoc Decreto declarat, ac „decernit, prædictis assertis Actis tam „pro Sententia Fratrum Ordinis S. Dominici, quam Ludovici Molinæ, aliorumque Societatis Jesu Religiosorum, „& autographo sive exemplari prædictæ assertæ Constitutionis Pauli V. „nullam omnino esse fidem adhibendam, neque ab alterutra parte, seu „a quocumque alio allegari posse, vel „debere, sed super quæstione prædicta „observanda esse Decreta Pauli V. & „Urbani VIII. suorum Prædecessorum.„

Sæc. XVII. A. C. 1654.

Pariter Clerus Gallicanus Lutetiæ in comitiis generalibus congregatus censuram ferebat adversus libellum, cui titulus: *Humillima supplicatio a Religiosis ad insignem quemdam Franciæ Præsulem facta.*

§. LIII.

Christina Sueciæ Regina sceptrum ultro deponens.

Jam ante biennium Christina Sueciæ Regina Gustaphi Adolphi Regis Filia, postquam humanis disciplinis animum

Hartenb. Hist. Pragm. ann. 1652.

Sæc. XVII. A. C. 1654. mum excoluerat, dudum de sectæ suæ veritate haud tenui scrupulo angebatur: ut autem, quænam esset vera & Apostolica Religio, intelligeret, privatu adhuc studio maturoque examine cuncta omnium ferme religionum argumenta & dogmata discussit, ac deprehensa Lutherani fermenti corruptione in Catholicam fidem singulari pietatis sensu ferri cæperat: quominus vero eam intra Sueciæ Regnum profiteretur, adhuc absterrebat partim severa lex, qua Suecorum nulli sine capitis pœna huic religioni nomen dare licuit, partim etiam cruenta exempla Mariæ Stuartæ, & Caroli I. Angliæ Regum, aliorumque Principum, quos ob mutatam sectam, vel nudam ejurandæ hæresis suspicionem sectaria crudelitas, sceptro, diademate, ipsaque vita exuit: Statuit ergo prudentissima Regina sceptrum & diadema Suecicum ultro deponere, vitamque privatam agere, ut eo liberius Lutheranum virus evomere, omnique sinceritate vera Christi dogmata palam profiteri valeret.

Præprimis igitur Carolo Gustavo Palatino Comiti, ac Duci Bipontino, sibi admodum familiari rursus conceptæ abdicationis suæ propositum exponit, jubetque, ut apud præcipuos Regni Proceres hoc negotium Orebi urgeret, eoquod

eoquod ipsa eorum postulationibus abunde satisfecisset, jamque ante biennium Regiminis abdicationem firmam, fixamque habens, nonnisi ad importunas eorum preces & suasiones Regni molem hucusque sustinuisset, ultra eam ferendo impar: Cum ergo res tam serio ageretur, Upsaliæ publica Regni comitia ad diem decimam septimam Junii anni prioris haberi præcepit, in quibus Regni Ordines unacum Carolo Gustavo jam ante biennium in Regni hæredem a Statibus confirmato compararent. His ergo una congregatis, Regina scriptam a se cessionem prælegit, Successorem hortata, ut dum ipsa viveret, eam tueretur in possessione Urbis & arcis Nicopingæ, Insularum item Oelandiæ, Gothlandiæ Wollin & Usedom, urbisque Wolgastanæ, necnon aliorum Pomeraniæ locorum, quorum annui reditus ad ducenta & quadraginta quatuor Imperialium millia ascenderent. In has conditiones cum a Regni Senatu itum esset, eadem die Regina Suecorum Proceres & subditos a juramento fidelitatis exsolvit, & Upsaliam die decima tertia Maji profecta, ibidem hoc anno die decima sexta Junii facinore plane heroico in omne ævum memorando sese Regno longe amplissimo abdicavit, & regia insignia omneque Sue-

Sæc. XVII. A. C. 1654.

Sæc. XVII. A. C. 1654. Suecici Regni jus in Carolum transtu-
lit, eundem, atque exterorum Princi-
pum Legatos magno numero in Aula
congregatos his verbis allocuta: *Pe-
te Nepotum charissime, proque Regno Su-
ciæ Deum optimum precor, ut hic dies
omnibus salutaris & faustus illuxerit: qu-
sui ego hæc regni ornamenta, ut quæ in
flatu suo in animo Christi spiritus loquitur
exequi, negotiumque susceptæ peregrinatio-
nis transigere possim. Tu interim ea, quæ
cessi me tibi transferente, ita accipe, ut no-
stri beneficii memor Regnum feliciter ad-
ministres, nosque absentes etiam diligas.*

Perorantem Reginam excepit Ca-
rolus Gustavus, habitoque ad Proce-
res sermone a Lenæo Upsalensi Pse-
do-Archiepiscopo, ritu, quem Luthe-
rani Prædicantes rejectis Romanæ Ec-
clesiæ cæremoniis adinvenere, unctus
coronatusque est. Altero die Christina
Holmiam reversa, neque ultra triduum
ibi commorata, noctu Nicopingam ad
viduam Reginam Mariam Eleonoram
perrexit, demum Halmstadium Hol-
landiæ urbem profecta, inde in Holsa-
tiam contendit, ubi unico die apud
Fridericum Holsatiæ Ducem Gottorpi
subsistens, sponsalia procuravit inter
Carolum Gustavum Regem, & Hedwi-
gem Eleonoram præfati Friderici Fi-
liam, quæ etiam regio apparatu Hol-
miam

miam deducta, unacum sponso suo Upsaliam venit, ubi præfatus Lenæus ambos connubiali vinculo constrinxit: Christina vero Regina conciliatis hisce nuptiis Hamburgum iter prosecuta, inde per Flandriam Bruxellas unacum Antonio Pimentelo Philippi IV. Hispaniarum Regis Legato ad Leopoldum Guilielmum Austriæ Archiducem venit, a quo etiam prout recipientis receptæque dignitas deposcebat, magnifice suscepta est.

Sæc. XVII. A. C. 1654.

§. LIV.

Eadem Regina fidem orthodoxam professa.

Sublatis omnibus obstaculis Regina hoc anno Bruxellis fidem Catholicam secreto, atque Oenipontum sequenti anno profecta ibidem præsentibus Ferdinando, Carolo, & Sigismundo Francisco Austriæ Archiducibus die tertia Novembris publice profitebatur: quoniam vero Lutherani Scriptores, ut suam confusionem, doloremque lenirent, hujus conversionis integritatem imputatis infamiæ notis commaculare, pro more non erubescunt, ac præfatæ Reginæ abdicationem reditumque ad fidem Catholicam Suecorum Procerum malevolentiæ ac invidiæ ex dissolutis

Guald. in vita Christ. Forest Hist. Suec. tom. 4. La Hode Hist. de Louis XIV. t. 2. p. 298. Narrat. de Christ. apud Tulden.

Sæc. XVII. A. C. 1654.

Christinæ moribus exortæ adscribunt, operæ pretium erit, celeberrimæ hujus Viraginis vitam ex probatis Auctoribus describere.

Primam lucem aspexerat Christina die decima octava Decembris anno Christi millesimo sexcentesimo vigesimo sexto, nonnisi sexennis infantula, cum Gustavus Adolphus ejus Parens anno hujus sæculi trigesimo secundo in prælio ante Lützen occubuisset. Morte fama in Sueciam delata Joannes Oxenstirnius Axelius supremus Regni Cancellarius Holmiæ Regni comitia indixit, in quibus septennis Christina unici defuncti Regis Filia communi Ordinum suffragio in Reginam solemnibus sacramenti verbis assumebatur, Regiminis cura præcipuis Proceribus relicta, eo quod per ætatem moderando Regno impar esset: per integros autem duodecim annos, utpote admodum perspicacis ingenii acie, ac rara memoriæ felicitate prædita, præter plurium linquarum peritiam in politica studii solerter incubuit, atque etiam sublimioribus scientiis vacans, eo supra sexum suam progressa est, ut summa Theologiæ arcana peracri suo ingenio penetraret: demum expleto ætatis suæ anno decimo octavo, cum Regno moderando jam idonea esset, præcipue pietatis

tatis & prudentiæ laude celebris illustrium Virorum consortio ac sermonibus gaudebat, ac in pervolvendis libris indefessa, Professores & Magistros, ne erudiendæ juventutis tædio avocarentur, exemplo & præmiis ad labores incitabat: Insuper præter instauratum Upsalensis Academiæ gymnasium, Dorpatense in Livonia, & Aboense in Finlandia aperuit, tanquam Sueciæ Decus, eruditionis prodigium, modestiæ, & continentiæ exemplar ab omnibus, atque ab ipsis quoque Prædicantibus deprædicata, quamdiu Lutheri commentis addicta credebatur: Refert Bayleus, quod ab hac Regina jussum fuisset palam declarare, quod ipsa jam a primo rationis suæ usu Lutheranæ sectæ nuntium in animo suo misisset, utut autem res se habuerit, id omnino certum, quod illa, cum ex assidua utriusque partis librorum, præcipue SS. Patrum lectione clare suomet intellectu convicta agnosceret, multa esse in suæ sectæ doctrinis infida, falsa, conficta, ac minime inter se consona, aliunde etiam plurimum novella Lutheri inventa ab antiquæ Ecclesiæ dogmatibus recedere, religionis mutandæ propositum, consiliumque ceperit, quamvis illud ob propriæ vitæ pericula, aliasque rationes simul & difficultates pa-

Sæc. XVII. A. C. 1654.

Sæc. XVII. A. C. 1654

lam exequi haud poſſet. Interim vero quosdam Catholicæ inſtitutionis Doctores, qui ingenio & pietate illo ævo maxime florerent, ad ſe clanculum accerſebat, quæſito explorandi obtentu, quibus in ſcientiis ſeſe utilius exercerent; re tamen ipſa, ut ab illis Catholicæ fidei dogmata penitius addiſceret: Horum inter præcipuus erat Joannes Baptiſta Guemeſius ex Ordine FF. Prædicatorum, vir celeberrimus, qui ex Dania Holmiam vocatus, ac Laici veſtibus Monachum occultans, Chriſtinæ ab Epiſtolis & ſecretis erat, eidemque fidei Catholicæ myſteria occulte explanaverat. Poſtquam vero Chriſtina anno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo Upſaliæ coronata in Principem Regni hæredem ac Reginam proclamata fuiſſet, aliunde vero plene convicta de pravis Lutheri opinionibus, nec aliam ſibi ad ſalutem reſtare viam, quam Catholicæ fidei profeſſionem cognoſceret, pro cæleſti regno terrenum dimiſit, ſuumque propoſitum anno ſequenti Joſepho Pinto Joannis IV. Lusitaniæ Regis Legato tum Holmiam ingreſſo detexit, cujus ſuaſu Chriſtina Patri Antonio Macedo Jeſuitæ, qui hunc Legatum comitabatur, literas ad ſummum Pontificem dedit, in quibus ſe exploſis vanarum Religionum figmentis

tis cum Ecclesia Catholica in gratiam redire, conjungique velle afferebat, ejusque Religionis amore captam, Regnum etiam suum contemnere paratam esse, ardenterque optare, ut Sueciam pariter in Religionis Catholicæ, unde excidisset, statum restituere posset, cum autem rei eventus admodum dubius, longiorisque moræ esset, neque illa tamdiu a Catholica unione esse segregata vellet, hinc abdicato Regno mox ad Ecclesiæ sinum reverti statuisset. Præterea Patri Cassato negotium dederat, ut exploraret, quanti sumptus annui expendendi, si Romæ stabilem eligeret sedem: Francisco autem Burdoluto Medico insigniter docto, ac natione Gallo mentem quoque suam occulte manifestabat, præcipiens, ut in patriam suam reversus, Ludovicum XIV. Regem de hoc suo proposito certiorem faceret, quo in omnem eventum ejus opem paratam haberet: Pariter amplectendæ fidei Orthodoxæ consilium detexerat Pimentelio Hispaniæ Legato, qui a Rege suo literas ad Sedem Apostolicam impetrabat, ut tantæ molis negotium felicius promoveretur. Rebus omnibus ita probe prospectis, factaque Regni cessione Christina unacum Pimentelio, & Patre Joanne Guemesio Hamburgo Mindinam contendit, ac demum

Sæc. XVII. A. C. 1654.

Sæc. XVII. A. C. 1654.

per Weſtphaliam ipſo nati Salvatoris pervigilio Bruxellas ingreſſa eſt, ubi hoc anno in ſecretiori cubiculo a præfato Patre ab hæreſis veneno abluta, fidei Catholicæ profeſſionem emiſit, & depoſita noxarum conſcientia ſacram Synaxin ſingulari pietatis ſenſu ſuſcepit. Tandem vero Auguſta Vindelicorum Oenipontum venit, ubi Lucas Holſteinius Protonotarius Apoſtolicus eidem nomine Pontificis occurrebat, inde ſub annum hujus ſæculi quinquageſimum quintum profecta, Tridentum, Veronam, Ferrariam, & Bononiam venit, demum vero per Flaminiam portam die vigeſima tertia Decembris Romam ingreſſa eſt. Ibidem ab Alexandro VII. Pontifice Maximo regia prorſus magnificentia excepta, atque ab eodem in die Natali Domini ſacro chriſmate confirmata, nomen ejus aſſumpſit, dicta exinde Chriſtina Alexandra: Priusquam vero Romam accederet, Laureti ad Beatiſſimam Virginem inviſit, cui etiam ſceptrum ac coronam Regiam ſumma religione conſecravit, adeo in fidei Catholicæ ſtudio immota, ut cum a ſuis Hamburgum ad comitia poſt Caroli Guſtavi obitum pro confirmandis ſuis proventibus invitaretur, Proceres vero, ut fidem Catholicam deſertum ire vellet, ab ea peterent, ipſa eorum poſtulatis

latis adeo non ſit velificata, ut potius aſſignata penſione exuta recedere, quam a fidei conſtantia quicquam remittere vellet, quinimo orationi funebri, quæ tum pro defuncto Rege Carolo habebatur, intereſſe recuſavit, mox inde Romam reverſa, ubi fixo ad dies vitæ domicilio inter crebra clariſſimarum virtutum exempla conſenuit, annisque tribus ſexagenaria major die decima nona Aprilis anno hujus ſæculi octogeſimo octavo obiit.

Sæc. XVII. A. C. 1654.

§. LV.

Ratisbonenſium comitiorum finis.

Nondum plene compoſitæ erant illæ controverſiæ, quæ Imperii ſtatum aut ob Suecorum pertinaciam aut Hiſpanorum indignationem denuo perturbare videbantur: Sueci enim inſuperhabitis pacis Weſtphalicæ pactis Fechtam Monaſterienſis Diæceſeos urbem ſuo adhuc præſidio tenebant, Hiſpani quoque Condæo Principi juncti Gallias, agrumque Pariſinum deſolarunt, & præcipue Caroli Lotharingiæ Ducis copiæ transrhenanam Weſtphalici circuli Provinciam, necnon Leodienſem Epiſcopatum cædibus, rapinis, ſtupris & incendiis miſere fœdabant: Eapropter Ferdinandus Imperator, ejusque Filius

Calmet Hiſt. de Lorr. t. 3. pag. 482. Tuld. Hiſt. rer. l. 3.

Sæc. XVII. A. C. 1654

lius Romanorum Rex in Ratisbonensi bus comitiis cum Proceribus constituti omnem in eo operam posuere, ut in quoque malis tempestive remedium op poneretur: Sub idem tempus Maximi lianus quoque Leodiensis Episcopus ad versus Lotharingici militis violentias Cæsare opem petebat, simulque Gal los aliunde Hispanis infensos evocabat quorum etiam quinque millia ductore Faberto postmodum Franciæ Marescal lo in Coloniensem ditionem movebant quoniam vero adversus Lotharingi militis violentias crebræ ad Cæsarem deferrentur querelæ, & ipsemet Dux de clandestinis cum Mazarino Cardi nale consiliis apud Philippum Hispaniæ Regem insimularetur, aliunde vero hi sce criminationibus eo faciliores præbe rentur aures, quo pertinacius Dux opti ma consilia a ceteris Belliducibus pro posita aut tergiversatione aut nequitia sæpius elusisset, hinc Hispaniæ Rex Fuen - Seldagnæ Comiti in mandatis dedit, ut Ducem Bruxellas reducem custodiæ daret: Utendum erat dolo ut Princeps oppido versutus, atque ad omnes casus probe intentus laqueis in retiretur: insuper jam murmur, atque obscurus populi rumor erat, magno cuidam Principi insidias strui: ne ergo Dux quidquam mali suspicaretur, Fuen Selda-

Montpens. t. 3 p. 9. Mem. Hist. chron. Montglat t. 4. p. 55.

Seldagna rei exequendæ Ministros sele- Sæc. XVII.
git Arescotanum Ducem & Garziam A. C. 1654.
Comitem intimos Caroli amicos, qui jactato Leopoldum Archiducem conveniendi obtentu Lotharingium, dum rei sacræ intererat, e Sacello ad Palatium in rheda deducunt, ubi in Principis cubiculo detentus, die vigesima quinta Februarii Antverpiam, inde vero in Hispaniam, ut a suis copiis remotior, longius a libertate, novique tumultus periculo arceretur, relegatus est, in captivitate usque ad pacem Pyreneam detentus. Ut autem hujus facinoris æquitas, necessitasque cunctis pateret, Leopoldus Archidux Bruxellis in publico foro, mæniumque portis ac Templorum foribus literas affigi jussit hujus tenoris: *Lotharingiæ Duci Carolo, posteaquam ex ditionibus, terrisque suis, Gallo eum persequente, ad exteros migrare coactus fuit; nulla ab ullo mortalium majora, quam ab Rege Hispaniarum, ejusque ministris, beneficia contigere. Pro cliente habitus, desensusque, in pacis negotio, rationes ejus ferventissime procuratæ, ad consilia belli domique Hispaniensibus agitata, socialiter admissus, omnium rerum tam præsentium quam futurarum particeps, & conscius est factus. E diverso autem per ludum & jocum, in perniciem reipublicæ a Carolo Duce omnia con-*

Sæc. XVII. A. C. 1654.

versa fuere: quod minime tamen tanti no-minis familiæque Principem decuerat. Optimma consilia, quæ in rem ex verbis conferre æquum erat, tergiversatione illius, nequi-tiaque penitus elusa sunt: milites, qui in hostem pugnando fortes evadere potuissent, latrociniis, cædibus, stupris, incendiis ac omne pessimum facinus assuefacti, in amico-rum, sociorumque Germaniæ Principum di-tiones furiali Marte contaminandas, intro-missi. Ac eo demum insaniæ processit Ca-rolus, ut eum velut hominum diris precibus devotum exhorrescant plerique, & non se-tus, atque Erymnim ab inferis excitatam abominentur mortales. Quamobrem, ne Deus optimus, tantis provocatus execrati-nibus, iram implacabilem in eos vertat, qui levare orbem hoc prodigio vel debebant, ne poterant, hinc Rex Hispaniæ coactus est, ut morbo vitalia depascenti medicinam fac-ret, & Lotharingiæ Principem, ne su-ludo humana, divinaque perturbare perge-ret, in custodiam duci juberet. Non quod Lotharingicæ stirpi male cupiat, aut bona possessionibusque exutam, e Belgio eam pro-scribere velit, sed, uti majore cum fructu disciplinaque exercitus omnis Lotharingicus Nicolao Francisco Caroli fratri moderan-dus servetur. Ideo commonitos volumus omnes, quibus hæc res tanto silentio gesta, commovere animum aut facere stomachum possit, ne indignentur, neve id contumelio-

loco

loco ducant, quod omnibus profuturum sit, tempus ipsum leniturum iras prudenter exspectent.

Sæc. XVII. A. C. 1654.

Capto Carolo Nicolaus Franciscus ejus Frater Cæsaris jussu Lotharingici exercitus imperium suscepit, suaque prudentia & moderatione omnia ad pacem pristinam composuit, militemque ab iniquis Leodiensium oppressionibus temperare jussum in Flandriam revocavit. His ita compositis Ordinum Legati in comitiis plurima ad Imperii securitatem conducentia maximo studio definiebant, alia vero ad proximos Imperii conventus remittebant: Postea Suecis ex Fechtana arce excedentibus, comitia absolvebantur, demum vero Cæsar unacum Ferdinando IV. Romanorum Rege Ratisbona Viennam die decima octava Maji reversus est. Pridie vero Recessus, ut vocant, Imperii Ratisbonæ in Aula Equestri fuit promulgatus, prius tamen Coloniensis Archiepiscopus, eoquod Romanorum Regis coronatio a Moguntino Electore peracta fuisset, ea vero a tempore hominum memoriam excedente ad Electorem Coloniensem pertinuisset, die decima octava Junii reclamavit.

§. LVI.

Sæc. XVII.
A. C. 1654.

§. LVI.

Monasteriensis tumultus.

Tuldeni hist. rer. l. 3. p. 154. Alpen vita Hist. Bern.

Jam per quatuor omnino annos acce rimæ fervebant simultates inter Chr stophorum Bernardum de Gallen Mo nasteriensem Episcopum, & Bernardu Malincrotium ejusdem Cathedralis Ec clesiæ Decanum. Hic enim, postqua Ferdinandus Coloniensis Elector ac Mo nasteriensis Episcopus anno hujus se culi quinquagesimo fatis cesserat, do ctrina & ingenio suo subnixus, tam fr mam potiundæ hujus Ecclesiæ spe conceperat, ut nullum in prensandi laborem intermitteret: tanta tame dexteritate Gallenius Canonicos sib conciliabat, ut excluso Decano ipse om nium suffragiis in Episcopum eligere tur: inde vero gravissima Malincrot indignatio, qui etiam Gallenii electio eoquod se inscio & absente extorta fuis set, intercedere haud dubitans, Rome tantum effecerat, ut Innocentius X Pontifex Apostolicæ confirmationis li teras Gallenio conferre, constanter re nueret: nec his contentus Malincrotius insuper Episcopum quotidianis molestiis turbisque agitabat, atque in illum im moderatius invehens, discordiarum fomitem inter Canonicos civesque ac cende-

cendebat. Patientia demum in ultionem versa, Episcopus Decanum custodiæ mancipare statuit: Ejus igitur jussu duodecim milites in Malincrotii ædes involvant, eumque inde captum abstrahere tentant. Hic autem, ubi vim sibi inferri senserat, minime turbatus, simulata comitate militibus denuntiat, se sponte secuturum, quo vellent, nec ulla violentia suæ dignitati injuria opus esse. Verum eorum suspicione citius, adornata fuga e domo elabitur, ac retro obseratis foribus armatos hosce milites domi includit, captosque tenet: quamprimum vero ejus famuli, quid rei gestum esset, compererant, mox violentiam Hero suo illatam civibus eidem bene affectis referunt. Hi ergo confestim in agmina coeunt, confertique in Decani ædes irruunt, & obvios quosque fustibus contusos, ac brachiis lateribusque lividos, maleque mulctatos e domo ejiciunt; cum autem Jesuitas de capiendo Malincrotio consilium Episcopo suggessisse nossent, in illorum quoque Collegium irrumpunt, portisque & januis vi apertis, dissectisque, in obvia quævis militari furore ac licentia debacchantur: Tenuit hic tumultus integrum ferme annum, donec Episcopus collecto milite civium petulantiam compesceret, ac Episcopali præsidio urbi

Sæc. XVII. A. C. 1654.

Sæc. XVII. A. C. 1654.

urbi impoſito Decanum rurſus captum Ottenſteinianæ arci includeret.

§. LVII.

Turbæ inteſtinæ in Galliis ſopitæ.

La Hode vie de Louis XIV. tom. 2. Mottevill. t. 4. p. 402.

Poſtquam Ludovicus XIV. Franciæ Rex non alieno, ſed proprio potiſſimum conſilio Regni habenas moderari cæperat, in Galliis res feliciter ceſſere; Harcurtius enim ex Aquitania fugienti ſimilis ſeſe Regi ſuo ſubmiſit, necnon Burdegalenſes & Aquitani denuo in Regis obſequium reverſi ſunt, everſisque Condæi Principis conſiliis Mazarini Cardinalis auctoritas adeo firmabatur, ut omnes Principes ipſius amicitiam certatim quærerent, ac ipſe Contius Princeps belli turbarumque pertæſus, Martinoſiam præfati Cardinalis Neptin connubio ſibi jungeret, & pientiſſimæ hujus Matronæ exemplo ſolutioris, quam antea egerat, vitæ tædio affectus, pietatis exercitiis totum ſeſe devoveret; inſuper Longevillana Duciſſa Regi reconciliata eſt, quæ poſtea in Aſceterio Religioſarum inſtituti Viſitationis B. V. adeo auſteram ducebat vitam, ut a Jeſuitis, quibus minus propenſa erat, Janſenismi inſimularetur: Attamen Condæus Princeps coram Rege comparere, ſeque captum ſiſtere

siſtere juſſus omni dignitate exutus eſt, Ludovicus quoque Borbonius tanquam læſæ Majeſtatis reus morti addicebatur, donec vero comprehendi poſſet, omnibus officiis bonisque privandus: hac tamen ſeveritate nondum compeſcebatur Condæo adhærentium furor; hi enim viciſſim mortis ſententiam in Mazarinum pronuntiarunt, ac ſicarios auro corruptos emiſerunt. Sub idem tempus, Galli Stenæum munitiſſimum Condæi Principis oppidum feliciter expugnarunt, necnon Atrebatum ab Hiſpanis cinctum obſidione liberarunt, captis omnibus hoſtium tormentis, ac diruto etiam Claromontio Flandriæ oppido. Denique Rex Parlamenti audaciam compeſcuit, dum ipſus Curiam Regia prorſus Majeſtate ingreſſus, indictis ſeveriſſimis pœnis inhibuit, ne deinceps Parlamentum ſine ſpeciali Regis venia Conventum haberet. Tantum valet ad compeſcendos ſubditorum motus magnanimi Regis præſentia.

Sæc. XVII. A.C. 1654.

§. LVIII.

Diſſidia inter Papam & Franciæ Regem ob ceſſionem Pariſini Archiepiſcopatus.

Mem. du Card. de Retz. t. 5. Joli t. 2. pag. 56.

Obierat die vigeſima prima Martii ante biennium Joannes Franciſcus Gon-

Sæc. XVII. A. C. 1654.

Gondyus, primus Parisinæ Ecclesiæ Archiepiscopus; eo autem tempore Joannes Franciscus Paulus Gondyus ejus Nepos, vulgo Radesianus Cardinalis dictus, quem sibi Coadjutorem delegerat, adhuc in Vicennensi arce captus detinebatur; nihilominus Laburet suo Sacellano hunc Archiepiscopatum adeundi potestatem datis literis dedit ac duos, qui interim Diæcesin regerent, Vicarios constituit: insuper ipse met Cathedralis Ecclesiæ Decanus una cum suo Capitulo Gondyum tanquam legitimum suum Præsulem venerabatur, eique sese consueto fidelitatis sacramento obstrinxerunt Canonici. Obstiterat autem Ludovicus Franciæ Rex, qui hanc Sedem vacare declarans, Decano injunxit, ut interim sacra Archiepiscopalis dignitatis munia ipse obiret: Ea res haud parum offenderat Canonicos, qui Luparam accedentes, sua jura propugnare nitebantur, quibus tamen Cancellarius ira commotior crimini dabat, quod Regis, qui tamen Radesianum Cardinalem pro Archiepiscopo non haberet, jura violassent, proin ipsi quosdam nominarent, qui rerum sacrarum curam gererent, temporalium vero administrationem Oeconomis a Rege nominandis relinquerent: denique die vigesima septima Martii pro-

promulgato edicto ambo Vicarii tanquam Ecclesiásticæ quietis, ac Parisinæ urbis perturbatores, & Ecclesiasticæ administrationis usurpatores intra viginti quatuor horarum spatium demandatæ suæ potestatis literas Cancellario tradere, & ab omni functione abstinere jubebantur. Attamen Canonici hisce mandatis haud parendum rati, Cavaliero, & Lavocatio, quos Radesianus suos designabat Vicarios, plenam rursus Diæceseos administrandæ curam committebant: Suffragabantur eisdem aliarum quoque Ecclesiarum Canonici, Parochi, imo & Parisinus populus, qui hac agendi ratione libertatem Ecclesiasticam violari, ac Religionem eo ferme modo, quo olim ab Henrico octavo Angliæ Rege, sensim everti vociferabatur. Ipse etiam Bagnius Apostolicus Franciæ Nuntius summum Pontificem de tota rei serie datis literis certiorem fecit: Excanduit vehementer Innocentius Papa, qui hujus violentiæ caussam privatæ Mazarini Cardinalis invidiæ & æmulationi adscribebat, urbemque Divinis interdici minitabatur: Igitur Mazarinus Papæ indignationem, necnon Parisini & Pictaviensis populi tumultum veritus, Radesiano septem Abbatias nomine Regis ea lege obtulit, ut Parisinum Archiepiscopatum ultro

Sæc. XVII. A. C. 1654.

Sæc. XVII. A. C. 1654.

missum faceret, adjectis hisce conditi-nibus, I. Factæ cessionis duo expe-ret diplomata, quorum unum ad pri-mum Regii Senatus Præsidem, alte-rum ad summum Pontificem, ut hanc abdicationem ratam haberet, transmi-teretur. II. Interea Radesianus a Me-lereio Marescallo ad Nannetensem ar-cem duceretur, concessa amicos su-visendi libertate. III. Idem Marescal-lus sponderet, quod illico accepta Pon-tificis approbatione Radesianum inte-græ libertati sit redditurus: Accepta-tis hisce conditionibus Radesianus Car-dinalis suum Archiepiscopatum dimisit, moxque trecentis Equitibus, & quin-gentis peditibus stipatus die trigesima Martii ad Nannetensem arcem deduc-ctus est. Postquam vero Charrier, Abbas, qui hujus Cardinalis negotia Romæ procurabat, scriptam hanc ces-sionem summo Pontifici exhibuerat, hi-se nunquam hanc abdicationem utpote Ecclesiasticis legibus oppido adversan-ratihabiturum, palam declarabat, in-pense Cardinalem hortatus, ut e cu-stodia sua elabi tentaret, Romamque veniret. E contrario autem Bellivera-Præses. qui Cardinali clam favebat, eidem auctor exstitit, ut recta Parisios tenderet, ibique revocata cessione sua ipsus sui Archiepiscopatus possessionem adire-

Sæc. XVII. A. C. 1654.

adiret, ac Parlamento fidelitatis juramentum exſolveret: ceſſit tamen Radeſianus importunis potentiorum amicorum precibus, hocque anno datis ad Clerum ſuum literis abdicationem revocavit, atque eluſis ſatellitibus ex Nannetenſi caſtro aufugit, & per Hiſpaniam ſuperatis pluribus periculis ad ſummum Pontificem perexit, quo comperto die vigeſima ſecunda Auguſti Regis edicto rurſus Archiepiſcopalis Sedes vacare declaratum, & Canonicis injunctum, ut loco Vicariorum, quos Radeſianus nominabat, intra octiduum alios deſignarent: Radeſianus vero anno ſequenti datis Roma literis die vigeſima ſecunda Maji Canonicos Eccleſiæ Cathedralis ad B. V. hortabatur, ne mandato *dignitati Epiſcopali atque Eccleſiæ tantopere injurio* morem gererent. Interim vero Radeſianus Romæ ab Innocentio Papa amplis honoratus elogiis, atque inter paternos amplexus & lacrimas perbenigne exceptus, ibidem aliquamdiu ſecurus agebat, donec Innocentio fatis functo, ejus Succeſſor Alexander VII. forte a Mazarino inſtigatus, Radeſianum durius haberet, quocirca hic relicta Italia aliquamdiu Germaniam, & Hollandiam pervagatus, poſt Mazarini obitum Archiepiſcopatum Pariſienſem abdicavit, acceptatisque,

Sæc. XVII. A. C. 1654

quæ antea ei oblata fuerunt, bene-ciis deinceps vitam moresque Purpurato Præsule dignos usque ad postremum vitæ suæ diem exhibuit.

§. LIX.

Ludovicus XIV. Franciæ Rex Rhemis inauguratus.

Die tertia Junii Ludovicus XIV. Franciæ Rex anno ætatis suæ decimo septimo Rhemos unacum Regina Matre, Henrietta Angliæ Regis Vidua ejusque tribus Filiis atque ingenti Principum frequentia venit, pro more inaugurandus, sacroque ungendus oleo. Sequenti ergo die idem Rex Missæ Sacrificio necnon Concioni a Dolensi Episcopo habitæ in Ecclesia Cathedrali maxima Religione interfuit, suæque conscientiæ labes Archiepiscopo aperuit. Postea ad Aram deductus, coram eodem Archiepiscopo Pontificia veste ornato consuetum juramentum exsolvit his ferme verbis: *Ego Ludovicus Rex Romanæ Ecclesiæ Protectorem, fidei Apostolicæ Cultorem, rituum Catholicorum conservantem me perpetuo fore polliceor, ordinemque fidem meam, hæreticis regno exigendis operam impensurum, privilegia Ecclesiæ propugnaturum, jura subditis nonnisi æquo & bono daturum.* His pronuntiatis

tis addidit: *Sic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei Evangelia.* Poſtea eidem ſacratus porrigebatur enſis, ut eo armatus tanquam Eccleſiæ primogenitus Filius Matrem defenderet: quo facto, annuloque in datæ fidei pignus accepto a Laudenſi Epiſcopo more majorum ſacro chrismate ungebatur. Rege ad hunc modum inaugurato, aves, quæ in corbe incluſæ habebantur, in ipſo Templo liberæ fuerunt dimiſſæ, ut ſignificaretur, quod populus, qui Chriſtiano caret Principe, captivo ſimilis, dum vero ejusmodi Regi ſubditus eſt, libertati reſtituatur. Peracto autem ſacro ſolemni Rex corona e capiteſublata ſacram Synaxin ſub utraque ſpecie, privilegio Franciæ regibus in eorum conſecratione conceſſo, ſumpſit, ac demum altera die in militarem ſancti Spiritus Ordinem adſcriptus, in Divi Marculphi Templo ſtrumoſos, quorum plusquam tria millia confluxerant, injecta in caput dextera tetigit; non memorant tamen Scriptores, vel ullum fuiſſe ſanatum, licet cunctis viritim pecuniæ fuiſſent diſtributæ; forte autem Ludovicus XIV. hoc privilegio non gaudebat, cum illud duntaxat ſeptimis maſculis, nullo interjecto partu fœmineo natis, conceſſum dicatur. Die autem duodecima Junii Ludovicus Rhemis egreſſus,

Sæc. XVII. A. C. 1654.

Sæc. XVII. A. C. 1654.

lustratis Helveticis copiis altera die in Templo Patrum Carmelitarum Discalceatorum consecrationis suæ octodialia celebravit, seque Regnumque suum Deo maxima pietate commendavit.

§. LX.

Arrogans Cronwelli dominatus in Anglia.

Thoiras hist. d'Angl. l.22. Tuld. l. c. Clarend t. 6. pag. 230.

Subjugatis utriusque Curiæ Senatoribus Cronwellus velut supremum novæ Reipublicæ Caput victorum more die decima octava Februarii Londinum ingressus est, rebusque suis ad votum fluentibus omnia ad suum genium, arbitriumque pro summo imperio effecit, mavit, cunctis oppido mirantibus quod Regum, Ducum & Principum Oratores huic usurpatori, nudato capite, ut jusserat, sua deferrent obsequia: partim indignabantur tam Regiis partibus addicti, quam Presbyteriani, quod Cronwellus post pacem cum Batavis Westmonasterii die quinta Aprilis firmatam, quamvis Regium nomen simulata modestia deprecaretur, re tamen ipsa Regalem supremamque potestatem sub quæsito Protectoris titulo sibi ab infima plebe attributo exerceret, ac trecentis satellitibus ad corporis sui custodiam armatis stipatus leges dictaret, & sese vitæ

vitæ mortisque arbitrum gereret: Inde vero secretæ primum multorum querimoniæ exaudiebantur, dein ad criminationem, tandemque ad conjurationem in Cronwellum res excessit. Præprimis vero Higlakenses innato in Regem studio instructam milite & armis classem ductore Middletono in Scotiam intulere, sibique potentiores Satrapas, ipsumque Huntlæi Comitis Filium, exercitatissimosque ex Britannis & Batavis milites adjunxere, frequentibusque præliis Cronwellistas profligarunt, tam prospero Marte pugnantes, ut proxima æstate Carolo II. Regi tutus in Scotiam aditus patere crederetur: Incassum Monca, quem Cronwellus cum valido agmine in Scotiam decreverat, conjuratis criminum veniam, & rebellionis oblivionem obtulerat, frustra etiam amplum constituit illis pretium, qui seditionis reum vel vivum vel mortuum sisterent: acrius enim pressi Higlakenses, mox ad cognita montium diverticula confugere, in promptu habebant: donec tandem a Margano Middletoni copiæ profligatæ, ac ipsi conjurati mutuis inter se diffidiis divisi pacem exorare cogerentur. Londini interim Wowellus & Gerardus Nobiles Tribuni Cronwellum insidiis circumventum trucidare machinabatur, con-

Sæc. XVII. A. C. 1654.

Sæc. XVII. A. C. 1654.

juratione autem tempestive detecta prior Londini laqueo, alter vero gladio pœnas dedere. Paulo ante Pantaleon Sa Lusitani Oratoris Frater, & Melitensis Eques, qui anno priori a præfato Gerardo palam objurgatus, eundem in tumultu Londini fuscitato vulnerverat, hoc anno novas cum eodem simultates habebat, ac ultionis cupiditate agitatus, validaque suorum manu cinctus, hominem, quem falso Gerardum esse suspicabatur, trucidavit, plurosque alios vulneribus affecit, & cum suis ad Legati Palatium aufugit: Fit illico populi concursitatio, atque ad necem petuntur homicidæ: Cronwellus etiam insuperhabitis Legati querelis Equitem justitiæ tradi petit, eumque pronuntiata mortis sententia in Londinensi Turri capite plecti, ejusque cadaver laqueo suspendi, ac denique Legatum, cum Gravesandæ portu solvere pararet, detineri jubet, donec ære alienum, quo gravatus erat, plene dissolvisset: Postrema denique conjuratio a quibusdam Proceribus Anglis, quos Cronwellus durius habuit, tam in Borealibus, quam Septentrionalibus Provinciis conflata est, quæ tamen vix exorta conjuratorum metu ac supplicii extinquebatur.

§. LXI.

Sæc. XVII.
A. C. 1654.

§. LXI.

Comitia Anglica, & Cronwelli oratio ad Deputatos.

Nil magis ardenter cordi habere videbatur Cronwellus, nisi ut singulare Religionis studium præseferret, & Presbyterianos, quos tamen a potioribus Regni officiis excluserat, cum Independentibus in unam sectæ societatem conjungere posset, eapropter hosce Sectatores beneficiis cumulabat, ut illos absque tumultu regere, ac utriusque partis favore suam auctoritatem potentius tueri valeret, simulque ab eis obtinere posset, ut sua Protectoris dignitas a libero Parlamento confirmaretur. Eo fine Ovenum & Samsonem Prædicantes adesse jussit, eosdem hortatus, ut scholas & Academias ab illis opinionibus, quæ contentiones horum adversus illos progignunt, expurgarent, ac doctrinæ concordiam, sanctiorisque vitæ studium ubique retineri adlaborarent: præcipue vero conservata Evangelii puritate Antichristi, scilicet Romani Pontificis, propaginem evellere conarentur, nequaquam tamen sese civilium rerum gubernationi immiscerent, cumque *nihil tam Christianæ puritati*, ut inquiebat ipse, *adversum reperiatur*, *Tuld. l. c.*

Sæc. XVII. A. C. 1654.

quam illorum, qui sese Catholicos ambitiosi jactitant, superstitiosissimi cultus observantia, hinc id omne genus hominum ac rituum diris devoverent, neque illos secum vivere aut colloqui paterentur, & matrimonium, quod Papistæ pro sua avaritia sacramenti nomine donarunt, nemo Sacerdotum in civi Magistratu administraret. Nunquam tamen luculentius Cronwellus suum erga Catholicos, & Regiam sobolem odium atque affectatum suæ sectæ studium exerebat, nisi in ea oratione, quam in illis pronuntiabat comitiis, quæ in Westmonasteriensi Abbatia ante Henrici VIII. schisma Benedictinis ab Eduardo Rege concessa habebantur; dum enim die decima tertia Septembris ibidem Angliæ, Scotiæ & Hiberniæ Deputatos pro eligendo novo Parlamento adesse jusserat, non modo omnes illos, qui pro Carolo I. Rege, vel ejus Filiis arma sumpserunt, omnino excludi præcepit, sed etiam coram illis sat prolixum habuit sermonem, cujus summam huc adducere, haud abs re erit. Sic ergo effatus est:

Neminem vestrum ignorare arbitror, viri lectissimi, quæ sit hodierni conventus nostri caussa; nempe trium nationum vita & salus, religio atque dignitas omnium nostrum humeris imposita sunt, quæ nisi summo studio, ac fide sublevamus, ac retinemus,

magno-

magnopere verendum erit, ne patriam everti, & Christianam religionem evelli sinamus. Deus optimus, quicquid inauspicatum esse potest, suo lumine ab hac republica benignissime amoliatur. Deus inspiret animis nostris, atque confirmet, ut quod facere instituimus, ad ipsius Nominis immortalem gloriam optato fine concludere liceat; ipse juvet rem nostram, quo dirissimæ superstitionis cultu in exilium abire jusso, reformatæ religionis decus & libertas hominum pectoribus inserantur, insita conserventur, conservata statum nostrum perficiant. Nunc vero hic amplissimus, frequentissimusque post hominum memoriam totius Angliæ consessus optimam in spem me vocat, brevi fore, uti res nostra publica maximis difficultatibus expedita, non concordia minus atque religione, quam opum vi atque viribus efflorescat. Papistas omnes, portenta illa atque funera Britanniæ summa omnium voluntate ejecimus; sed cum domesticis hostibus negotii aliquanto plus contraximus, qui florentem statum Angliæ, & hac administratione constabilitum subruere conantur. Quid autem indignum? quid intolerabilius, quam Superiorem Senatum, quem æquissimo jure solvendum, ac de sententiæ dicendæ provincia detrahendum censuimus, consiliari ausum fuisse, quomodo omnis generis hominum æqualitate introducta, nullius, non dicam Protectoris, sed ne hominis quidem in re gerenda,

Sæc. XVII. A. C. 1654.

Sæc. XVII. A. C. 1654

da, administrandaque authoritas rite valeat. Non me latet sceleris illius, horum conspiratorum authoris & principis insania: sed vos appello viri Sapientissimi, atque vehementer etiam non mearum necessitatum, sed communis Salutis caussa obsecro, ne sinatis unius furore atque amentia res Deo adjuvante optime ac saluberrime institutas perturbari atque convelli. Scio, quos tantæ perturbationis insimulem: scio, qui nobis ne naufragium faciamus, tanquam scopuli atque Syrtes remis ac velis fugiendi sint: quorum magnis luctibus populi Anglicani, funeribusque subvenientem hoc novo pravissimarum opinionum genere excogitato, ferri non posse videntur. Levellerios appellant sese illi, illi sunt ad cupiditates suas explendas nati mortales, qui Magistratuum, quos optimus Deus constituit, reverentia & metu soluti, nullum in republica ordinem, nullas leges patiuntur. Sed quæso vos, stupiditatem hominum cognoscite, ne alio quam Christi Spiritu impulsore atque adjutore, quod moliuntur, moliri videantur: Evangelicæ pietatis fuco Simplicioribus illudunt: tum denique Christiano more vitam institui, & Christo se vehementer cordi esse confirmant. Si exciso omni fastu nemo imperet, nemo quemquam infra se positum arbitretur, sed veluti amicorum omnia sint communia, ita imperium, dignitatem, rerum divinarum atque humanarum administratio-

ſtrationem pro ſe quisque teneat, leges vivendi ſibi quisque ac modum præſcribat, nulli ſit formidabilis, nulli ſubjectus, omnium æqualis. Quæ hæc per Deum immortalem æqualitas eſt, quæ non potius turbulenta ratio, & pervertendi omnia libido? an adeo diſciplinæ majorum, & inſtitutioni divinæ obliti ſumus, ut Paulum non meminerimus ad honorem magiſtratibus habendum, & humaniſſima & clariſſima voce hortantem? quid gladius ille non in acie Pharſalica Tuberonis, ſed in pace atque otio, qui magiſtratui nudus præfertur, quid agit? quid loquitur? non ſine cauſſa, inquit Paulus, gladium portat magiſtratus, iræ Dei in ſceleratos vindex. Sed male hanc operam in hominum furioſiſſimorum confutanda oratione collocamus. Maneat ſuus magiſtratibus honos, ſit ſua Eccleſiaſticis ordinibus integra dignitas, & divinæ legis, ut ſemper fuit, docta & ſana explicatio, fui aliquando ipſe in hac Sententia, Concionatoribus otioſis nihil opus eſſe rei noſtræ publicæ: verum cum videam, doctos & huic muneri non ineptos neceſſario nobis retinendos eſſe: Flecto ipſe me, atque corrigo, eosque ad Eccleſiæ Chriſti miniſterium exequendum cum cura admoneo: ne hæc rerum confuſio Anglicani ſtatus integritatem evertat. Reliquas vero curas noſtras & cogitationes in Salute optimatum, in otio populi, in reformatæ religionis ornamento

Sæc. XVII. A. C. 1654.

plane

Sæc. XVII. A. C. 1654. *plane defixas retinemus. Huc spectat, quod maximis terrestribus, maritimisque confligentis bellis, aliquem eorum, Deo adjutore, exitum repererimus, nam ut in Scotia Hypsichtones rebellent, cum fortissimis gentibus pacem fecimus, confœderatis Belgis, Suecis, Danis, Portugalensibus &c.*

Nil ergo restare videtur, nisi ut Protestantium, qui Evangelii caussa ex Romano Imperio exulare coguntur, patrocinia suscipiant, caussamque eorum religionis suæ existiment: certo omnibus persuasum esse oportet, me non ita cum Senatoribus meis concionari, quasi imperata illi, quæ dicam, facere debeant; verum in labores ac pericula Reipublicæ commodo suscipienda, ducem ac & egregiorum operum adjutorem me ubique futurum polliceor: quare eant bono animo in congregationem, ac de rebus tantis summa consensione deliberent.

Cum vero ex Senatoribus nonnulli omnibus Cronwelli placitis velificari tergiversarentur, ac prius decidi peterent, qua auctoritate eos Cronwellus ad hæc comitia convocasset, ipse suam dignitatem a Parlamento haud confirmari veritus, quod oris facundia impetrare desperabat, verborum asperitate extorquere nitebatur. Igitur acrius in fluctuantes invectus, comitiorum janua milite firmata eisdem injunxit, ut fidem suam eidem sequentis juramenti

Reli-

Religione obſtringerent: *Ego, qui nomen meum ſubſcripſi, induco animum, & volens recipio, me Domino Protectori, Reique publicæ Angliæ, Scotiæ, Iberniæ fidelem ac benignum fore, & quod conſectarium eſt, nihil propoſiturum in cœtu noſtro, nullius voluntati aſſenſurum, ſi Protectoris ac illius ab eo Protectore conſtituti Senatus authoritas ex Sententia aut voluntate ſuggillari, permutarique videatur.* Sæc. XVII. A. C. 1654.

Cum autem huic juramento alii omnino ſubſcribere recuſarent, alii duntaxat ad id metu adacti eſſent, Cronwellus die vigeſima ſecunda Januarii Parlamentum diſſolvit.

§. LXII.

Catholici in Hibernia dire vexati.

Jam per aliquot annos Angli æque ac Scoti Hibernos dire vexabant, non alia ex cauſſa, animique propoſito, niſi ut Religionem Catholicam, quæ in hoc Regno adhucdum vigebat, penitus eliminarent, & Anglicanæ ſectæ peſtem inveherent: Sub idem tempus Carolus I. Angliæ Rex adverſus rebellis Parlamenti ſui violentias Hibernorum Religione Catholicorum opem implorabat, qui etiam Regi ſuo fideliſſimi, veramque fidem inique oppreſſam tuendi ſtudio incitati inito ſacro fœdere exer- *Lexic. Her. Rapin Thoiras Hiſt. d'Angl. l. 22.*

Sæc. XVII. A. C. 1654.

exercitum ferme octodecim armatorum millibus validum contraxere: Ipse etiam Innocentius X. Pontifex Maximus in Catholicorum auxilium Joannem Baptistam Rinuccium Firmanum Archipræsulem cum ingenti auri, argenti ve copia in Hiberniæ Regnum decreverat, qui superatis Hæreticorum insidiis, innumerisque periculis tandem in Kilmarii portum appulsus, Kilchaniam Momoniensis Provinciæ urbem pervenit, ab Episcopis, Ducibus, cunctisque Catholicis incredibili lætitia exceptus. Suaserat ipse, ut ex Ultonia in Scotiam, ex qua acrior in Catholicos Hibernos impetus acuebatur, tota belli moles converteretur; cum autem Eugenius Onealius, & Thomas Præstonus Catholici exercitus Ductores inveterata æmulatione inter se diffidere viderentur, necesse erat, ut acies dividerentur, & Onealius cum magna exercitus parte in Ultoniam progrediretur, Præstonus vero æquali fere militum numero Momoniam invaderet. Favebant prima belli auspicia Onealio, qui inito prælio Scotos irrumpentes prope Bembordiam tanta clade affecit, ut cæsis quinque millibus captisque plusquam sexaginta Tribunis Robertus Monteroius supremus eorum Dux ægre propudiosa fuga saluti suæ consulere potuit

potuerit. Cessere victoribus in præ- Sæc. XVII.
dam impedimenta, & cuncta ferme A. C. 1654.
belli tormenta, unacum omnibus vexillis, quæ in Religionis Catholicæ triumphum Romæ in Basilica D. Petri hodiedum explicata visuntur. Nec ex Momoniensi parte otiabatur Præstonus; captis enim quibusdam arcibus, Slicum urbem nuper ab hoste interceptam recuperasset, nisi per Catholici Senatus literas, quo consilio incertum, ab hoc proposito desistere jussus fuisset: Obstiterat ulteriori victoriarum cursui Bonrattum Momoniæ arx situ & opere munitissima: Hanc ergo, ut Rinuccius ejectis Anglis denuo Catholicis redderet, obsidionis curam Donato Maccartio commisit, qui etiam post duodecimum diem arcem non tam Hiberno plumbo, quam auro Pontificio verberatam ad deditionem compulit. Attamen rebus pro Catholica Religione tam prospere inchoatis, Præstonus, qui Onealium communi applausu, & gloria florere, moleste ferebat, clandestina cum Ormondo hæretico Hiberniæ Prorege consilia cudebat, atque Anglos inter & Hibernos clam pacem Orthodoxæ fidei injuriam, & Catholicis summopere noxiam inibat, & incassum reclamante Clero in Vaterfordiensibus comitiis congregato inter turbarum

Sæc. XVII A. C. 1654.

ſtrepitus nefandæ hujus pacis articulo promulgari juſſerat. Nihilominus tamen Preſtonus, ne a Catholicis rebus excluſus, ad Hæreticos deficeret, in partem obſidendæ urbis Dublinenſis vocabatur, fatali prorſus aliorum consilio; auctis enim inter ambos Duces diſſidiis totus pene exercitus in extremum diſcrimen fuiſſet adductus, nisi Rinuccius ſolita ſua prudentia diſcordes animos compoſuiſſet, ac relicta Dublinenſi obſidione tempeſtive copias ad aliam expeditionem deſtinaſſet. Ipse de vero acrior in Catholicos vexandi ortum habuit; poſtquam enim Angliam Dublinenſem arcem ſibi ſubjecerat, recenti milite e Scotia & Anglia auctum in Lagenia, tum in Conavia Catholicos acerbe habebant, totumque Momoniæ agrum incendiis, & depredationibus miſerandum in modum devaſtabant, nulloque negotio Præſtonianas copias ingenti clade fuderunt: Enimvero Pontifex ſubmiſſa ingenti auri copia, & Onealius invicta ſuorum fortitudine collapſas Catholicorum res, & perpeſſas injurias reſtaurare nitebatur; hæc tamen ipſa Onealii felicitas indeque exorta æmulatio Præſtonum ad propudioſam defectionem incitavit; rupſus enim cum Ormondo Prorege conſpirans, in Onealium & Rinuccium Papæ

Papæ Legatum insidias struxit, rupto- Sæc. XVII.
que fœderis sacramento pacem ab hæ- A. C. 1654.
reticis propositam amplexus est, & quoniam duo armatorum millia e Præstoni castris ad Onealii signa transfugissent, Præstonus inde ira commotior, Rinuccium & Onealium Regiæ Majestatis rebelles, e Regno expellendos omnibusque bonis, ipsaque vita spoliandos pronuntiavit, irrito tamen conatu; quippe Onealius collectis undique copiis e Momonia ad Ultoniæ fines, ipsamque Kilcheniam urbem progressus, Ormondi copias inter paludes tam arcte clausit, ut una tantum ex parte satis angusta fugæ locus eis pateret, totamque Ormandi & Præstoni factionem delevisset, si in Kilcheniam urbem nullo apparatu instructam impetum fecisset: ast in ipso victoriarum cursu tantopere elanguit Onealii virtus, ut Ormondiani Præstonianis aucti vires suas colligerent, profligatisque Catholicorum rebus Onealium in Ultoniam aufugere compellerent, captaque Calvia civitate Firmanæ Ecclesiæ Decanum Roma reversum carceri darent, ipsumque Pontificis Legatum ad exilium vel ad necem ubique perquirerent: Tum vero dira tempestas in Catholicos desæviit, Legatoque ex Hibernia post exantlatos triennales labores, fraudes & pericula Ro-

Sæc. XVII. A. C. 1654.

mam profugo, Ormondus Prorex in quissimam pacem nomine Parlamen Anglici Catholicis obtrusit, assumpu que Hiberniæ Regimine sectam ubiqu invehere sategit, inde vel maxime Catholicos concitatus, eoquod Hibe niæ Episcopi palam declarassent, qu cum Ormondo ceterisque Hæreticis n commune habere vellent: postqua vero hic e Regno excesserat, eique Cle rikardus Marchio Religione Catholic a Rege fuerat subrogatus, Catholi Carolum Lotharingiæ Ducem tum Br xellis agentem in opem accersere, in cassum tamen; quocirca omni auxili destituti, ab Anglicis Præfectis omn crudelitatum genere cruciabantur, nu pauci etiam manu carnificis e medi sublati, alii vero, quorum numeru ad plusquam centies mille ascendera fame, innumerisque miseriis confec periere, pauci admodum, qui sectar furoris rabiem effugerant, amissis om nibus suis bonis victum oppido tenuem ex desertis agris, qui ipsis beneficii loc assignati fuerant, quærere coacti sunt Ita demum Hæreticorum violentiis d fraudibus, mutuisque Catholicorum Ducum odiis sanctissimum fœdus pr tuenda vera Religione initum fuit di solutum, & per exitialem pacem ipsi met bello deteriorem, auroque Pon tifico

tificio redemptam ſecta invaluit, & Catholicorum viribus omnino ſucciſis Religioni veræ vix ulla reſpirandi ſpes reliqua fuit: ut vero Cronwellus Hibernos hæreticos ſibi arctius adſtringeret, & Catholicos validius opprimeret, Henricum Filium ſuum eis præfecit, eique Sedem aſſignavit Dublinum.

Sæc. XVII. A. C. 1654.

§. LXIII.

Ferdinandus IV. Romanorum Rex vita functus.

Vix quadrageſimus dies poſt fauſtum Ferdinandi III. Cæſaris reditum ex comitiis Ratisbonenſibus effluxerat, cum Ferdinandus IV. ejus Filius ac Romanorum, Hungariæ, & Bohemiæ Rex Viennæ decederet; die enim quinta Julii Variolis affici, & decumbere incæperat, moxque mali ex inſperato urgentis violentia tantis acceſſionibus augebatur, ut ex Medicorum ſententia de ſalute hujus Principis actum videretur: quocirca die ſeptima ejusdem Menſis ipſemet ſacro Chriſti Corpore, ac unctione extrema Catholicum in morem præmuniri petiit; eadem vero die animam ſuam Deo repoſcenti placidiſſime reddidit, & terreſtre Regnum æterno vix vigeſimum primum ætatis ſuæ annum ingreſſus

Sæc. XVII. A.C. 1654.

commutavit, ingenti Patris ſui luctu & maximo Rei Chriſtianæ damno, cujus in gloriam atque incrementum pietiſſimus hic Princeps adoleverat. Corpus ejus aromatibus conditum funerali pompa in PP. Capuccinorum æde repoſitum eſt: tam luctuoſæ autem mortis caſum per quædam prodigia fuiſſe prænuntiatum, ſpargebat nimis credulæ plebis levitas; plerumque enim in magnorum funeribus cuncta, quæ caſu minime frequenti eveniunt, vana Religione multitudine, quam tum ſuperſtitio validiſſime regit, in futuri caſus vaticinia trahuntur: Ita interpretabatur vulgus terræ motum, & ventos in Auſtria, necnon incendia in Hungaria: non deerant etiam, qui Regii hujus Principis deceſſum paulo ante per Aquilam cujusdam pullum in arce nutritum fuiſſe annuntiatum crederent, eoquod hic inde avolans, nec redire viſus, quo terrarum devenerit, comperiri haud potuerit.

§. LXIV.

Novem Præſules ab Innocentio X. Romana Purpura decorati.

Ciacon. in vita Innocentii X.

Hoc item anno die ſecunda Martii Innocentius X. Papa duos Cardinales evulgavit, quos jam ante biennium

in pectore, ut vocabant, reservaverat, horum primus erat Laurentius ex illustrissima Imperialium Familia ortus, qui primo Romanæ Urbis Gubernator, hoc anno demum Cardinalis renuntiabatur. Alter erat Gisbertus Borromæus, quem Innocentius Papa Cardinalem titulo SS. Joannis & Pauli honorabat. Præter hos eadem die idem Pontifex septem alios de novo creavit Cardinales, & quidem primo Joannem Baptistam de Spada. II. Prosperum Caffarellum Presbyterum Cardinalem titulo S. Calisti. III. Franciscum Albicium itidem Presbyterum Cardinalem tit. S. Mariæ in Via. IV. Octavium Aquavivam Presbyterum Cardinalem tit. S. Bartholomæi in Insula postea S. Cæciliæ. V. Carolum Pium de Sabaudia Cardinalem Diaconum S. Mariæ in Dominica. VI. Carolum Gualterium Cardinalem Diaconum tit. S. Pancratii. VII. Decium Azzolinum Diaconia Cardinalitia tit. S. Hadriani decoratum.

Sæc. XVII. A. C. 1654.

§. LXV.

Joannes Baptista Alterius Cardinalis hoc anno defunctus.

Ex Purpuratis hoc anno denatis nonnisi unicum reperimus. Is erat Joannes Baptista Alterius patria Romanus, qui

Ciacon. in vita Urbani VII.

Sæc. XVII. A. C. 1654.

qui utriusque Jurisprudentiæ laurea decoratus vix expleto vigesimo quarto ætatis suæ anno publicis Theologicis disputationibus, ac Concionibus in præcipuis Urbis Ecclesiis habitis sese oppido celebrem reddiderat, demum vero ab Urbano VIII. Papa æquo bene meritorum remuneratore Ecclesiam Camerinensem obtinuit, variisque Ecclesiæ officiis præpositus, tandem ab eodem Pontifice sacra Purpura cohonestatus est. Postquam vero Camerinenem relicta, Tudertinam Ecclesiam regendam susceperat, atque ex ea hoc anno ad invisenda SS. Apostolorum limina Romam contenderat, in civitate Narniensi die vigesima quinta Novembris apoplexia tactus, anno ætatis suæ sexagesimo sexto ibidem decessit.

§. LXVI.

Quædam Constitutiones Pontificiæ hoc anno emanatæ.

Bull. magn. Innocentii X. Const. 55. Vid. supra §. 10.

Ante biennium Innocentius X. Papa quosdam parvos Religiosorum Conventus supprefferat, iisque ad statum sæcularem reductis eorum bona ad alias pias caussas applicaverat, cum autem hi Conventus ob rationabiles caussas in pristinum regularem Statum restituti suis Ordinibus denuo concessi fuissent, Pontifex

tifex illos visitationi & Jurisdictioni Ordinariorum hoc anno die decima Februarii subjecit, donec ipsorum reditus eousque aucti fuissent, ut inde duodecim Religiosi in eis commode sustentari valerent. Declaravit pariter idem Pontifex alia Constitutione die vigesimo quinto Septembris edita, quod Commendatarii, qui Monasteria Ordinis Cisterciensis obtinent, non valeant Priores & Officiales ejusdem Ordinis instituere, vel suis officiis amovere, nec visitare Monachos, eosque corrigere.

Sæc. XVII. A. C. 1654.

§. LXVII.

Variæ sacrarum Congregationum Decisiones.

Plura sacrarum Congregationum decreta hoc anno prodiere, & primo quidem die septima Januarii rursus S. Concilii Congregatio decidit, quod licentia Confessiones audiendi omnino gratis concedenda sit, eaque obtenta post oppositionem, litem & possessionem beneficii non suffragetur ad obtinendam Prælationem: pariter ab eadem Congregatione die decima octava Aprilis declaratum habetur, quod Episcopus non possit prohibere, quin Regulares pro devotione Missas in Eccle-

Decis. S. Congreg. Concil. Rit. &c.

Sæc. XVII. A.C. 1654.

siis sæcularibus de consensu Rectorum celebrent, Regulares tamen in dictis Ecclesiis onus celebrandi ratione stipendii, invito Episcopo non suscipiant. Die autem duodecima Decembris sancitum, quod Præbendarii juxta consuetudinem introductam non lucrentur distributiones quotidianas Horarum Primæ, tertiæ, sextæ & nonæ, si primum ad Chorum accedant, quando decantatur tertius Psalmus earumdem Horarum, nec possint juxta prætensam consuetudinem assistentes horæ sextæ lucrari distributiones horæ nonæ, nisi dictis horis personaliter intersint, et quod per talem consuetudinem Cultus Divinus plurimum diminueretur, demum eadem die declaratum a Congregatione Concilii, quod dispensatio & absolutio a tribus votis obedientiæ, Paupertatis, & Castitatis Conjugalis in professione Ordinis Militaris S. Jacobi emissi concedi valeat cum commutatione in aliud opus suæ Sanctitati bene visum & quidem in votis solemnibus, si adsit caussa publica, in simplicibus, si militet caussa privata ad arbitrium Confessarii, qui hasce caussas examinet.

§. LXVII.

§. LXVIII.

Scriptorum quorumdam Catholicorum obitus & opera.

Paucorum Scriptorum hoc anno denatorum opera recenſere lubet, & primo quidem Franciſcus Salernus S. Theologiæ, juriumque Doctor, ac Protonotarius Apoſtolicus ſcripſit præter varia conſilia librum, cui titulus: *Valor matrimonii a Francorum oppugnationibus vindicatus.* Obiit Panormi die decima quarta Junii. II. Paulus de Juliis Clericus Regularis edidit faſciculum novem liliorum ex horto Divinarum literarum. III. Dominicus Luna Ord. FF. Prædicatorum, qui præter Martyrium F. Hyacinthi Orſaneli in Japonia trucidati Hiſtoriam Eccleſiaſticam ab eodem Martyre usque ad annum Chriſti milleſimum ſexcenteſimum vigeſimum primum ſcriptam ad annum ejusdem ſæculi vigeſimum octavum produxit. IV. Thomas Tomaſſonus ex eodem Ordine concinnavit Auream Catenam decretorum Apoſtolicæ Sedis, Conciliorum, Sacrarum Congregationum, & Patrum, ſcripſit etiam librum, cui titulus: *hæreſis debellata.* V. Franciſcus Agueda Jeſuita, qui elucubravit opus de perfecto Religioſo, de

Sæc. XVII. A.C. 1654

de ſapiente Chriſtiano, de ſummo fide Sacramento præter exhortationes doctrinales, variosque ſermones.

§. LXIX.

Quidam Scriptores Acatholici hoc anno defuncti.

Zeltn. vit. Theol. Alt. Freher Theatr. erud. p. 1. ſect. 3.

EX Scriptoribus Acatholicis, qui hoc anno obiere, celebriores ſunt. I. Georgius König Ambergenſis Palatinus, qui vindicias ſacras in difficiliora S. Scripturæ loca, caſus conſcientiæ, Theologiam poſitivam acroamaticam, tractatus Theologicos de converſione Peccatoris, Antichriſtum revelatum pluraque alia publici juris fecit. II. Theodorus Zwingerus edidit commentaria in epiſtolas ad Romanos, & in Pſalmos Theatrum ſapientiæ cæleſtis, declarationem doctrinæ de Cæna Domini, diſputationem de libero arbitrio & ſyntagma exercitationum Theologicarum. III. Jacobus Fabritius ſcripſit diſputationes in Geneſin & epiſtolam ad Romanos, vindicias Guſtavi Adolphi Regis ob ſuſpiciouem Calvinismi præter nonnulla alia. IV. Joannes Major typis vulgavit ſuum Theologum & Concionatorem Orthodoxum, exegeſin verborum Chriſti Joann. 18. Paraphraſin in Pſalmos, & diaſcepſin de vaſis iræ &c.

&c. Calviniſtis oppoſitam. V. Jacobus Clauderus ſcripſit de pace Religioſa, de animi tranquillitate, de quæſtione bipartita in Papam, num Cæſar ab ejus coronatione dependeat, & indirecte ſumma poteſtate in temporalibus fulgeat. VI. Thomas Gatakerus edidit tractatum de ſtylo Novi Teſtamenti contra Pſochenium, miſcellanea ſacra, diſſertationem de nomine Tetragramento, & notas in Iſaiam, Jeremiam &c. VII. Guilielmus Erbury, qui magnum myſterium Divinitatis, librum de Regno Chriſti & de miniſtris pro decimis præter alios tractatus poſteris reliquit.

Sæc. XVII. A. C. 1655.

§. LXX.

Extrema Innocentii X. Pontificis infirmitas.

Sub anni poſt Chriſtum natum milleſimi ſexcenteſimi quinquageſimi quinti initium Innocentius X. Pontifex Maximus ſupremum obiit diem; cum enim jam a Menſe Auguſto anni prioris corpus ſuum inſolito languore, indeque exorta febri flacceſcere ſentiret, ac paulatim aqua intercus vitalia indies tanta violentia depaſceret, ut morbi gravitas, viresque gravi ſenio confectæ medicam opem, omnemque falu-

Tuld. Hiſt. rer. pag. 7. lib. 4. Ciacon. in vita Innoc.

Sæc. XVII. A. C. 1655.

ſalutis ſpem everterent, Pontifex dien ſibi extremum imminere ſentiens, de morte feliciter obeunda ſerio cogitare cæpit: omnibus igitur ceteris curis ac negotiis valere juſſis, præprimis coram conſcientiæ ſuæ arbitro totius anteactæ vitæ noxas ducto ab ultima pueritia calculo in memoriam redegit, pluresque dies inter fervidas ad Deum preces frequentesque de divinis rebus ſermones pie inſumpſit: Ut vero Divinum Judicem ſibi magis propitium redderet, aliquot aureorum millia in pauperes diſtribui, tria Sacrorum millia celebrari, incruentumque Sacrificium in ſuo cubiculo quotidie peragi voluit. Ingraveſcente demum morbo poſt ſacram Synaxin Viatici more receptam, die ultima Decembris, olei ſacri etiam unctione munitus, cunctos Cardinales, qui tum Romæ degebant, adeſſe juſſit, quos una congregatos ſingulari animi præſentia hanc in ſententiam allocutus eſt: *Videtis, Viri Fratres, & ego ſenio non diu admodum hanc animam in tabernaculo corporis hujus diverti adhuc poſſe: ut liæ hinc emigraturo Sedes petendæ ſunt, quas deſignator hoſpitiorum Chriſtus oſtenderit. Quare & humilitatem ægræ vocis & ultimam abſceſſuri a vobis ſalutem aures, animisque accipite. Non aliud clarius id cæremoniæ genus intuemur in vita*

quo

quod initio Pontificatus (quum in aurea sella ponimur) adhiberi solet, quam ubi ventum ad extrema est. Modicum stupæ arentis glomerem accendunt, eum iterum atque tertio, elatum in sublime conspectius lucentem exhibent; ut momento temporis decrepita flamma ignis in cinisculum subsidat, hoc admoneri mortales volunt, rem honorum stupæ accensæ persimilem crepare paulisper dum vivimus, sed splendorem illum subrepente mortalitatis pulvere raptim extingui. Utinam hujus in mentem veniat iis, qui honores brevi interituros aut prece ambiunt, aut pretio emere non detrectant, alia credo mente forent. Obsecro ego vos, atque per Christi sacra obtestor fratres, ne sinite animos rectum videntes, ambitione in transversum abripi. Dum hinc emigravero, concordiam inter vos retinete: factionum nomina, quæ sæpe exitio multis fuerunt, extinquite: Christianæ Reipublicæ salus, commune Ecclesiæ bonum ut omnibus rebus apud vos præponderent facite, non vos hujus, non illius præpotentis familiæ splendor, non privata commoditas, ad cœlestis in terris regni moderatorem constituendum commoveat. Quem divinæ gloriæ cupidissimum, quem catholicæ pacis, concordiaque Christianæ studiosissimum, sancti Spiritus, qui rite invocatus abesse a vobis non patitur, instinctu cognoveritis, eum defuncto mihi cooptate. Et quia ipse hoc tempo-

Sæc. XVII. A. C. 1655.

Sæc. XVII. A. C. 1655. *temporis articulo vestra ope inprimis eger precamini pro me Deum benignissimum; si si quid hac gravissima in undecimum annum administratione vel egi negligentius, vel quod factum a me oportuit, prætermisi, pro sua facilitate mihi ignoscat: Agnosc Christi Domini beneficium, non rejiciet Pa ter, quem Filius redemit &c.*

Hæc fatus erat æger Pontifex, e loquentia supra morientis morem ac fe dem prolixa, demum vero ad Fabium Chisium Cardinalem conversus, cum ejus fidem, probitatemque multis ar gumentis compertam habuisset, eidem quoque Ecclesiæ, libertatisque ejus de fendendæ curam impense commenda bat, necnon Cardinalibus parce provis ne ob inopiam factionibus potentiorum accedere cogerentur, in singulos men ses ex ærario Pontificio centum aureos domesticis vero suis, qui sacris Ordini bus initiati erant, vacantia beneficia ceterisque duo aureorum millia statim suppeditari jubebat: denique Agnatos suos, inter quos graves fervebant inimi citiæ, ad concordiam paterno plane affectu hortabatur.

§. LXXI.

Sæc. XVII.
A. C. 1655.

§. LXXI.

Innocentii X. Pontificis obitus.

Posteris diebus morbi impetus tam vehementer ingravescere cæperat, ut non modo ob corporis languorem accedente ad hydropen febri nec cibum nec potum ultra sumere posset, sed etiam tam densa animi caligine obrueretur, ut deliranti similis multa a proposito aliena aut quæreret, aut responderet; exacto autem biduo præter omnium exspectationem sibi plene redditus, multa & magna pietatis ac pœnitentiæ specimina edidit, ac sæpissime veniam suorum criminum a divina Bonitate exorans, invictaque patientia accerrimos dolores perpessus, Christi e Cruce pendentis imaginem frequentissime exosculabatur, & Sacerdotem, qui Jesu ac Mariæ nomina morientis auribus ingerebat, hiulca voce sequebatur; tandem vero manifestiore vitæ fuga imminente, respondendi finis deprehendebatur, ac concidente lingua internecinum totius halitus silentium Papam exspirasse indicabat. Obiit igitur inter Cardinalium & Domesticorum preces ac lacrimas optimus Parens die septima Januarii circa horam diei decimam quintam, anno ætatis octoge-

Sæc. XVII. A. C. 1655.

ſimo, Menſe octavo, poſtquam Pontificatum geſſerat, annos decem, Menſes tres, dies viginti tres.

§. LXXII.

Innocentii X. geſta in Pontificatu.

Hic idem Innocentius Pontificium honorem, ac Eccleſiæ libertatem ſi tam tectamque conſtantiſſime tenuit: ea enim, qua ſupra ætatem, gentiſque ſuæ indolem præditus erat, animi fortitudine, ac conſtantia, minime Regum ac Principum potentiſſimorum Majeſtatem aut potentiam verebatur, ſi Apoſtolicæ Sedis auctoritatem, ac Eccleſiæ decus labefactari cerneret. Id experti fuere Luſitani, æque ac Hiſpani Proceres, qui Apoſtolicos Oratores ludibriis affecerant: Vindicaverat etiam læſam in Electore Trevirenſi ipſa munitatem, necnon violata per pacem Monaſterienſem jura ſacra, & Religionis Catholicæ libertatem: Eandem pariter animi magnitudinem monſtraverat, dum incaſſum reclamante Aula Gallica, Baupii Clerici cauſſam ſuo tribunali reſervaverat, & iniquiſſimam Chriſtophori Caſtrenſis Epiſcopi necem ſicariorum anathemate, ac ſupplicio urbisque excidio ulciſcebatur. Ex inſuper acerrimus æquitatis vindex, cujus

cujus ſtudio mortis ſententiam adverſus Maſcanbrunum, aliosque de corrupta juſtitia convictos pronuntiabat: Hanc tamen ſeveritatem mira temperabat clementia, qua innoxios cognita eorum innocentia abſolvit, ampliſſimisque favoribus cumulavit: nec minus erat munificus erga populum Romanum, cujus inopiam ex Tyberis eluvione enatam frumento maximis ſumptibus aſportato ſublevabat, ipſusque, ne piſtorum fraudibus quicquam de annona pauperibus ſubtraheretur, ſemel iterumque Urbis compita pertranſiens, venalis panis pondus ſuismet oculis explorabat, urbemque fontibus in Vaticano, & in Agonali foro erectis, & Capitolium ædibus magnificentiſſime inſtructis augebat: His omni jure addenda ſunt, quæ ad Divini honoris incrementum liberaliter perfecerat; quippe Vaticanam Baſilicam, Lateranenſem Eccleſiam, necnon SS. Pauli & Martini Templa partim ornatu ſplendidiore, partim novis ædificiis inſtauravit, auguſtioraque reddidit; magnis etiam expenſis Divæ Agnetis Templum erexit, ditavitque: ſuam quoque beneficentiam erga ipſos etiam miſeros carceribus obſtrictos exercuit, dum in urbe novos, commodioresque exſtrui curavit; pauperibus quoque, & peregrinis per vias

Sæc. XVII. A. C. 1655.

Sæc. XVII. A.C. 1655. ipsi obviis large eleemosynas distribuit, suoque exemplo plurimos Romanos Principes & Nobiles ad eadem pietatis officia excitavit: Nil vero pejus odere Vir pacificus, quam tumultus & bella; quocirca finitimos Italiæ Principes ad arma proclives componere, & Neapolitanos tumultus compescere, totis viribus adlaboravit, & quamvis eo tempore ob populi, Procerumque propensionem Neapolitanum Regnum nullo ferme negotio imperio Ecclesiastico restituere potuisset, posthabito tamen privatæ utilitatis studio publicam tranquillitatem promovere maluit: ardentiore etiam Zelo semper Orthodoxæ Religionis augmentum quærere visum est, unde & Venetis, Melitensibus & Polonis arma, & aurum, triremes & milites submisit, quibus non semel Turcarum classis cladibus affecta, Cretensibus & Dalmatis infesta esse desiit: Hibernos quoque & Anglos ab Hæreticis oppressos non modo missis Legatis, sed etiam copiis ac pecuniis largiter adjuvare studuit, ac prorsus egregie fidei puritatem ab Arnaldi commentis, & Jansenii erroribus vindicavit, immerito igitur Joannes Hübner ait: *Innocentium X. non corde sed oretenus Jansenii propositiones damnasse*, quibus autem perspiciliis hic Acatholicus Scriptor ipsa

ipsa cogitationum & intentionum cordis Pontificii penetrarit, nullo inditio aut argumento prodidit: attamen ejusmodi maledicis hominibus sufficit maculas labesque aspersisse Romanis Pontificibus, etsi præter calumniandi licentiam omni alio careant fundamento, veritatisque specie: minime tamen diffitemur, quod hujus ceteroquin dignissimi Pontificis existimationi haud parum nocuerit Olympia Maldachina fratris sui uxor, quam cum nimis posse passus esset, atque ex illius favore quædam beneficia conferret, necnon in in Politico regimine ex ejus consilio multa disponeret, inde calumniarum argumentum apud gentem aliunde suspiciosam in urbe, quam *suspiciosissimam & maledicentissimam* jam tum Cicero appellitabat, non satis caute prudenterque declinasse visus est: quod autem senex hic Papa Olympiæ amori minus casto sese dicarit, id nonnisi ab invidis vulgi rumoribus, infamibus Italorum vindicta ardentium & ne ipsi quidem Deo Sanctisque parcentium libellis, carminibusque & hæreticorum mendaciis ortum traxit; id tamen omnino certum est, quod Pontifex de Olympiæ avaritia, & populi rumoribus certior factus, illam aula exulare jusserit, nec deinceps eidem negotiorum partem,

Sæc. XVII. A. C. 1655.

Orat. pro Flacco.

Sæc. XVII. A. C. 1655.

tem, ac Regiminis auctoritatem contulerit.

§. LXXIII.

Comitia sacra pro electione novi Pontificis.

Conclave de Pontif. Rom. Erberman. de elect. Alex. VII.

Viduata suo Pastore Sedes Apostolica languebat; sedulo igitur de novo Papa eligendo agebatur a Cardinalibus, qui justis de more Innocentio X. persolutis die decima octava Januarii numero sexaginta duo conclave ingressi sunt, quibus alii quatuor diebus subsequentibus accessere: Priusquam scrutinio daretur initium, viginti duo Cardinales se mutuo societate ac fœdere junxerant, ac unanimiter Pontificem ceteris digniorem expetierant, propterea a quibusdam maledicis *agmen volans* appellati. Hi in Julium Sacchetum conspirabant, cum vero Barberinos Cardinales Jacobo Corrado favere crederent, & de Hispanorum accessione dubitarent, hinc suam propensionem occultare decreverant, donec ipsi deferveescente ceterorum animositate, ac conclavis diuturnitate fractis animis adhuc integri certam victoriam sibi polliceri valerent. Vespere diei decimanonæ Mensis Februarii facta suffragiorum scrutatione inter plures dispersa vo-

rant vota, non paucis tamen Chisio & Carafæ accedentibus: quoniam vero Cardinalis Barberinus in alio scrutinio solus triginta & unum suffragia tulisset, Cardinales Medicæi, qui Hispanicæ partis Caput erant, cautius agere, ac Barberinum, necnon Sacchetum excludi adlaborabant: nec deerat eorum conatibus exoptatus successus; quippe Hispaniæ Oratores mox declarabant, Regem suum haud quaquam passurum, ut Cardinalis jam antea exclusus, ad Pontificatum eveheretur: inde vero Albizius Cardinalis, vel ut ab aliis creditum, Linius Advocatus ansam arripuit divulgandi scriptum, in quo demonstratum ibat, quod sine gravi noxa Principum nullus electioni quorumdam Cardinalium, qui a ceteris digniores reputantur, sese opponere valeat, sed damna tam privata quam publica inde exorta compensare teneatur. Huic scripto aliud opposuit Cardinalis de Lugo, comprobans, quod Cardinales in Pontificem legitime nec eligere debeant nec possint illum, quem Rex quidam Christianus, cui potissima Catholici Orbis pars paret, excludi petit: non deerant tamen alii, qui hoc Cardinalis scriptum refellere niterentur, imo Febeius sacrorum Rituum Magister palam declarabat, quod illi Cardinales, qui

Sæc. XVII. A. C. 1655.

Sæc. XVII. A.C. 1655.

Sacchetum Pontificatu excluderent, sed omnium damnorum reos efficerent, quæ absdubio Ecclesia Catholica tanto Viro orbata esset subitura: Hæc ven Fabei libertas summopere displicuit Hispanis. Porro die decima Februarii Cardinalis Trivultius gravi morbo obrutus ex comitiis excedere cogebatur, a tertio post die Petrus Aloysius Cara qui communi ferme judicio Pontifex futurus credebatur, apoplexia tactu decima quinta ejusdem Mensis obi

Paulopost nova habebatur scrutat in qua denuo Sacchetus triginta tr tulit suffragia; cum ergo hic sibi adhe rentium numerum nunquam auge inde vero Pontificis electionem reta dari cerneret, ipsemet Fabium Chisium suis proposuit fautoribus: nec id inge tum erat *factionis volantis* Cardinalibus nec ipsis Gallis, imo ne ipse qu dem Mazarinus obstare credebatur quamvis aliunde Chisio minus esset pro pensus, eoquod ab eodem, dum Co loniæ Apostolicum ageret Nuntius prohibitus esset, ne ad sopiendos ine stinos tumultus pro Rege suo ibidem militum delectum haberet. Hispani tamen Cardinales in Franciscum Ab gelum Rapacciolum inclinare videbantur, eidem vero utpote Gallis nimis propenso adversabantur Medicæi, nec-

non Antonius Barberinus, & Bernardinus Spada, qui, postquam Franciscus Ceva ex febri sua convaluerat, æger ex conclavi in gentis suæ Palatium efferebatur, omni Pontificatus spe dejectus. Interim in Marcum Antonium Bragadinum jamjam quadraginta duo convenerant suffragia, nonnisi Genuensibus Purpuratis & iis etiam oppido remisse, eidem sese opponentibus: immote autem Saccheto adhærebat præter Barbarinum factio volans; aliis tamen præplacuit electio Martii Ginetti Viri omnibus numeris absolutissimi, quamvis adversantem experiretur Franciscum Albicium, & Barberinos: Proponebatur etiam Marcus Antonius Franciottus Præsul morum integritate, scientia & prudentia longe præstantissimus, ast a Gallis, eoquod rebus Austriacis studiosior, excludebatur: favebant non pauci Francisco Cherubino, qui quidem morbo correptus conclave reliquerat, pristinæ vero valetudini restitutus, Pontificatus spem conceperat, quippe factionem volantem & Barberinos sibi vel ideo suffragaturos credebat, quia ab Olympia Matrona expetitus, atque ab Innocentio X. Purpura decoratus, Barberinis integra fide ancillabatur. Prævaluere nihilominus, qui favebant Saccheto; quamvis enim

Sæc. XVII. A. C. 1655.

Sæc. XVII. A. C. 1655.

hic Cardinalis suos impense rogasset, ut a suo desisterent proposito, hi tamen palam declarabant, quod salva conscientia nullum Saccheto digniorem reputare valerent, e contrario Cardinales Hispanis addicti, aliique, ut Saccheum excluderent, nulli pepercerunt labori, huncque in finem Stephani Doratii electionem promovere simularunt; tandem vero Carolus Medicæus, & Joannes Baptista Pallota Cardinales expositis tam diuturni conclavis molestiis, damnisque Ecclesiæ & urbi inde imminentibus, ceteros rogabant, ut fracta utriusque partis pertinacia in alium ex Purpuratis sua conferrent suffragia; eapropter Fratrem Vincentium Maculanum Ord. FF. Prædicatorum proponebant: verum hujus electioni præter Olympiam sese opposuere non pauci, ac præ ceteris ardentius Cardinalis de Lugo, qui sub Pontifice Dominicanæ Societati, ejusque doctrinæ haud parum de sua existimatione detractum esse verebatur. Præplacuere non pauci Carpegna & Spada Cardinales, alii vero Cardinalis de Lugo, & Dominicus Cecchinus, quibus acriter adversabantur alii, ac præcipue Galli, qui potius unaomnes ex comitiis excedere, quam sese dominio & gravi jugo Jesuitarum, qui Ecclesiam sub Papa Jesuitis pro

pro arbitrio ſuo regerent, ſubjicere maluerunt, præcipue, ut inquiebant ipſi, cum Cardinalis de Lugo præter Theologiam ſpeculativam nulla alia ad univerſale Eccleſiæ Regimen requiſita prærogativa præditus, vix ad Collegii ſui Rectoratum habilis eſſet. Jamjam vigeſima quarta Menſis Martii dies fluxerat, & nondum potior ſuffragantium pars in unum conſpirare videbatur: habebatur quidem iterata ſuffragiorum ſcrutatio in favorem Cardinalis Aloyſii Capponii, a viginti octo Purpuratis nominati, mox autem alii ſuffragabantur Franciſco Mariæ Brancaccio Viro meritis pleno: Hac igitur ſuffragiorum varietate indies unanimis electio eo difficilior fuit reddita, quo plures, iique omnes oppido idonei ad tantum Eccleſiaſticæ dignitatis faſtigium proponebantur; plusquam enim viginti numerabantur Cardinales, quos omnes meritorum ſuffragia ad Divi Petri Sedem expoſcere videbantur: tandem vero Sacchetus incredibilis animi magnitudine ſuos amicos eo inclinabat, ut in Fabium Chiſium ſua ſuffragia collaturos ſe, pollicerentur: eum in finem, ne Cardinalis Mazarinus in Galliis agens obſtare poſſet, ipſus efficaciſſimas ad eundem necnon ad Franciæ Regem dedit literas, quibus Cardinalis Chiſii vir-

Sæc. XVII. A. C. 1655.

Sæc. XVII. A. C. 1655.

virtutes, ac insignes animi dotes extulerat, tantumque erga hanc Nationem affectum eidem inesse spoponderat, quantum Rex Christianissimus ab ipsemet Mazarino sibi polliceri posset. Illuxerat dies Paschatis seu vigesima octava Martii, qua Barberinus, volatis agminis Cardinales, aliique serio de Chisii electione in Bicchii Cardinalis cubiculo agere cæperant; priusquam tamen Barberinus in illum penitus suis suorumque suffragio iret, extrema pro Saccheto tentare moliebatur: hic vero vehementer huic conatui restitit, palam professus, quod si in solo suo arbitrio esset repositum, suo capiti tiaram imponere, illam tamen sibimet demere & in caput Chisii utpote dignissimi transferre mallet.

§. LXXIV.

Fabius Chisius Cardinalis in Papam electus & Alexander VII. vocatus.

Nani Hist. Venet. t. 6. Ciacon. l. c.

Interim opportune ex Francia Romam referebantur Mazarini literæ, quibus significatum, quod Galliarum Rex Cardinalis Saccheti, pro Chisio intercedentis testimonio fidem habens, ejus exaltationem gratam haberet, imo etiam impelleret, ut omnino is in Pontificem

tificem renuntiaretur: Præterea Mazarinus Saccheto grates habuit, quod talem tantumque Virum proposuisset: Igitur die sexta Aprilis hoc negotium a Cardinalibus apertius pertractari cæperat, & tum ferme omnes sibi invicem tam faustam electionem gratulati, Chisium accessere, qui tamen profusis ubertim lacrimis eos precabatur, ut magis dignum Ecclesiæ præficerent: nihilominus altera die habito scrutinio sexaginta quatuor suffragia in eum concurrerant: unde eadem die peracta re Divina Cardinales illum ad D. Sixti Sacellum deduxerunt, ibidemque electionem omnium suffragiis, ac *nemine penitus discrepante* jam factam confirmarunt: Hoc igitur modo Fabius Chisius renuntiatus est Pontifex, qui antequam hanc dignitatem capesseret, ut ab Altissimo necessariam opem imploraret, aliquantulum secedens, fervidas fudit preces: postea Pontificio ornatus habitu in memoriam Bandinellorum sibi sanguine junctorum, ex quorum familia Alexander III. Papa prodiit, nomen Alexandri VII. assumpsit, ab Universo Purpuratorum Collegio pro more salutatus; cum vero paulopost solita solemni pompa ad Basilicam Divi Petri deportaretur, & Sacrorum Rituum Magister Sedem ejus in medio

Sæc. XVII. A. C. 1655.

Alta-

Sæc. XVII. A. C. 1655. Altari collocasset, eam ipse retraxit a Evangelii latus, negavitque se illo se-surum loco, ubi Corpus & Sangu Christi conficerentur, & ubi alii Pon-tifices se longe digniores sedissent: Mo ubi relicto Divi Petri Templo ad pro-ximum Palatii Vaticani cubiculum, a laboribus aliquantulum respirare deferebatur, inter prima, quæ ut Pon-tifex dederat, mandata illud erat, u sarcophagum ex cupresso intus plumb obtectum, in quo post mortem recon voluit, mox confectum sub lecto su reponeretur, ut eo magis viva frequen-que mortis memoria ejus animo impre inhæreret. Tandem die decima octav ante fores Vaticanæ Basilicæ de mon coronatus in Ara maxima consecra-tus est, eademque die finito prandio possessionem adiit Ecclesiæ Lateranen-sis: proxima autem die a sua inaugu-ratione Olympia Maldachina Palatium ingrediebatur, summo Pontifici hanc dignitatem gratulatura, quo compert Alexander illam Aula excedere, statim jussit; indecens enim esse dicebat, Pon-tificis Palatium, quod solis Ecclesiasti-cis, Religiosis, & pauperibus pateret, a fœminis etiam Principibus freque-tari: affines quoque suos, pauperes dixit, quibus ut Christo, ita sibi pro-pinquiores magisque conjunctos esse

nullos

nullos asseruit, quocirca Postarum Magistrum, qui datis literis Papæ Cognatos Romam accersiverat, acriter reprehendit, his autem, ac ipsimet etiam Nepoti suo, qui Venetiis nomine Melitensis Ordinis munus Præsidis agebat, confestim rescripsit, ut nullo sub obtentu Romam venirent, nisi ab eo vocati; eoquod nequaquam suæ domui evehendæ, sed sublevandis Ecclesiæ necessitatibus intentus esset: Ex his primordiis sane patuit, Spiritum Sanctum in hujus Viri electione vires suas plene exeruisse, animos dissidentes in concordiam redigendo, unamque mentem cunctis eligentibus antea divisis, & in tot partes scissis eo fine inspirando, ut Ecclesia, & fidelium grex sub tanto Pastore reflorescere inciperet. Tam alienum etiam a rerum cupiditate sese exhibuit Alexander, ut amplissima dona sibi postridie a sua in Pontificatum evectione a variis Principibus oblata acceptare renueret, lectumque, valoris quadraginta aureorum millium quem Olympia eidem in donum offerebat, non sine magna indignatione conspiciens, illico remitteret, ac Cardinali Palottæ negotium daret, ut de iis, quæ sub Innocentio X. expensa fuissent, ab eadem fœmina rationem exigeret, & sedulo in illam arcam octoginta aureorum milli-

Sæc. XVII. A. C. 1655.

Sæc. XVII. A. C. 1655.

millibus gravem inquireret, quam innocentius moriturus Successori suo tradi voluerat, & Fabio Chisio tum Cardinali, præsentibus aliis duobus Purpuratis ostenderat, & in præfata Matronæ ædes translatam fuisse, rumor erat: denique, ut Pontifex pauperum sustentationi subveniret, immunuto panis pretio Olympiæ, Pamphilio & Ludovisio Principibus inhibuit ne monopolia exercerent, aut frumentum extra Pontificiæ ditionis fines exportarent.

§. LXXV.

Alexandri VII. vita & gesta ante Pontificatum.

Ciacon. in vita Alexandri VII. tom. 4. Palat. ibid.

Primam lucem Senis aspexerat Fabius Chisius ex nobilissima familia ortus anno Domini millesimo quinquagesimo nonagesimo nono: Erat is adhuc puer suo Patre orbatus, a Matre tamen sua lectissima Matrona in omnibus pietatis exercitiis, & a celebrioribus Magistris in omni scientiarum genere egregie imbutus: Vix undecimum ætatis suæ annum impleverat, cum jamjam vena admodum facili nonnulla versuum millia ad imitationem Homeri funderet, floridamque ætatem non inerti otio transigens, non modo in Philosophiæ, sed

&

Sæc. XVII. A.C. 1655.

& Theologiæ ac jurisprudentiæ facultatibus tantum proficeret, ut doctoratus lauream emeritus, vix natus jam *Alexander Magnus* diceretur, ac tunc temporis hospes ille inter literatos haberetur, qui Alexandri nomen ignoraret, aut obiter tantum inaudivisset; passim enim ab omnibus celebrabatur tanquam virtutis & scientiæ cultor ac patronus amantissimus, vitiorum vindex & hostis, tam parcus in se, quam prodigus in pauperes, tam laudum suarum fastidiosus, quam studiosus alienæ existimationis imitator. Porro Romam delatus, atque a Sfortia Pallavicino Viro eruditissimo ad Urbani VIII. benevolentiam introductus, ab eodem Pontifice utriusque, ut vocant Signaturæ Referendarius, ac paulopost Ferrariensis Pro-Legatus renuntiabatur, quo munere per quinque annos summa cum laude perfunctus, hanc Provinciam a pestilentiæ incrementis, a belli Mantuani incendiis, & ab invalescentibus discordiis Papam inter & Venetos sua prudentia, & moderatione tutabatur. Inde vero ab eodem Pontifice Melitam missus Inquisitor Apostolicus, Neritonensem Ecclesiam obtinuit, paulopost Nuntius Coloniam decretus, cum eo tempore totius Europæ Principum Oratores ad pacem afflictæ Germaniæ

Sæc. XVII. A. C. 1655.

reddendam Monasterium confluere
ab Innocentio X. eo decernebatur, q
in munere Ecclesiæ totius incolum
tem, Imperii Romani, pluriumque
gnorum salutem, ubi vacillabat,
cire, & ubi deficiebat, tanta dext
tate procurare satagebat, ut in dif
limo hoc tot hominum non minus
pientium, quam dissentientium cons
totque rerum inter se oppositarum
flictu, in quo omnia æmulationibus,
sidiis, & suspicionibus flagrabant,
mam tamen non modo apud Ort
doxos, sed & apud Acatholicos m
mam existimationem, laudem, auct
tatemque retineret, nec illi etiam,
bus se Fabius opposuerat, habere
quod carperent, nisi pietatem, Ze
ceteraque Catholica Romanaque de
ra & jura more suo libuisset arrod
Mirabantur omnes hujus Nuntii m
rationem, morum suavitatem, re
gerendarum usum, doctrinam, &
cipue incorruptæ æquitatis studi
ubi enim de Religionis discrimine,
befactandis Ecclesiæ juribus, &
piendis Ecclesiasticorum bonis ag
tur, monstrabat Fabius constantem
æquique rigorem, amicorum sæpe p
bus oratus, nunquam exoratus, adv
riorum sententiis minisque oppugna
expugnatus nunquam, pollicitis allec

non illectus, donis tentatus, non commotus pacem immoto ſtudio promovere nitebatur, ita tamen, ut nihil de Eccleſiæ juribus atque auctoritate decederet: cum vero preces & monita incaſſum adhiberi cerneret, adverſus conditiones ab Heterodoxis extortas, & contra pacem Catholicæ Religioni perniciosam Pontificis nomine reclamabat, ſuamque oppoſitionem in publica præfatæ pacis acta referri petebat. Demum ex Weſtphalia Romam reverſus, ab Innocentio X. Presbyter Cardinalis nominabatur, in qua dignitate nihil omnino a priſtino vitæ ſuæ inſtituto remiſerat, ſed lecto duriſſimo uſus, corpus aſperrimo cilicio, quo etiam, cum habitu Pontificio ornaretur, indutus reperiebatur, & jejuniis bis in hebdomada uſitatis macerabat, omneque tempus aut orationi, aut lectioni vel laboribus ſibi ex Cardinalatus munere impoſitis ſedulo vacabat; nulla enim in parte unquam defuit in ſacris præſertim Congregationibus, quarum multis, iisque gravioribus adſcriptus erat, plurimumque ejus eruditioni ac ſolertiæ debetur, quod quinque Cornelii propoſitiones cenſuris fuerint perſtrictæ; in ceteris porro negotiis ſibi commiſſis, cunctisque actionibus ad exitum deducendis Fabius ſingularem dexteritatem

Sæc. XVII. A. C. 1655.

& vigilantiam, in providendo circum-
ſpectionem, in colloquendo humanis-
tem, in conſultando integritatem, i
perficiendo aſſiduitatem, in perſere-
do tolerantiam, atque in patiendo m
ram animi æqualitatem præſeferebat
adeo, ut tot tantarumque rerum ac m
tutum unice capax potuerit eſſe anim
magna Alexandri Maximi.

§. LXXVI.

Iſacci Peireri hypotheſis de Pr adamitis.

Abrege de l'Hiſt. Eccl. tom. 3. pag. 462. Sianda Lex. Pol.

Hoc item anno Iſaccus Peirerus Be degalæ in Galliis natus in luce edidit librum ſuum, cui titulus: *S ſtema Theologicum* ex Præadamitar hypotheſi, ſeu *exercitatio ſuper verſ duodecimo, decimo tertio & decimo qu capitis quinti Epiſtolæ Divi Pauli ad R manos:* Hic author in præfato lib comprobare nitebatur, duplicem fu hominum creationem, quarum prim fuiſſet ſexta creationis die, quan Deus creavit maſculum & fœmina ſeu juxta hunc ſomniatorem, in om bus terræ partibus mares & fœmin ex quibus Gentiles fuerunt progen altera autem creatio multis poſt ſæc lis ſequebatur, ubi Deus creavit Ad mum, ut eſſet Pater particularis p po

puli ſui, qui poſtmodum nominabatur populus Judaicus: Hunc ſuum errorem fulciebat verbis Divi Pauli, dicentis: *usque ad legem peccatum erat in mundo; peccatum autem non imputabatur, cum lex non eſſet*: Hæc ergo verba de lege Moſaica haud intelligi poſſe contendebat, eoquod ſacer textus mentionem faciat de ſupplicio Caini, Sodomitarum, pluriumque aliorum, proin intelligenda eſſe de lege, quæ Adamo data fuiſſet: inde vero inſerebat, quod quidem homines ante Adamum exſtiterint, quibus peccata non imputabantur: Enimvero in Epilogo Lectori perſuadere nitebatur, ſe cuncta hæc exercitationis gratia ſcripſiſſe, ſeque totum Eccleſiæ judicio ſubmittere, ſuæ tamen falſitatis labem ideo non purgavit. Quantumcunque craſſus ſit hic error, immerito tamen Heterodoxi ſuccenſent Peirero; quamvis enim ex Geneſi, & D. Paulo diſcere potuiſſet, quod Adam fuerit primus homo, & Eva vocetur Mater *cunctorum* viventium, privatus tamen ejus ſpiritus, poſtquam etiam Divinum Lumen in omni humilitate, ſuique diffidentia exoraverat, eidem dictabat, textus Divi Pauli ad Romanos ſyſtema Præadimitarum ſtabilire, oppoſitos vero ex ipſis præfatis textibus eſſe interpretandos: in ſua autem interpretatione

Sæc. XVII. A.C. 1655.

1. *ad Cor. cap.* 15. *v.*25.

Sæc. XVII. A. C. 1655.

secutus est unicam Regulam, scilicet S. Scripturam juxta internum spiritus privati testimonium intellectam; non enim Peirero fortius jus habent Heterodoxi ad Scripturam ita interpretandam. Ceterum hic novi commenti liber haud multos numerabat Sectatores, imo ipsemet, postquam anno sequenti Bruxellis captus, inque carcerem detrusus fuerat, librum suum execratus coram Alexandro VII. Papa anno Christi millesimo sexcentesimo quinquagesimo septimo sua commenta ejuravit, hunque Phanaticum Theologorum non paucis ac præcipue Natalis, Micrælius, Daniverus, Maresius, aliique impugnarunt.

§. LXXVII.

Occasio epistolæ Arnaldinæ ad quandam Ducem & Franciæ Parem.

Dupin Hist. d'Eccl. t. 4. §. 10.
Vid. supra §. 25.

Quantumvis Cleri Gallicani sententiæ contra Jansenistarum interpretationes a Pontifice confirmata in universo Regno summa cum veneratione fuerit recepta, non deerant tamen, qui clam Jansenii librum ac doctrinam tuerentur; hos inter præcipuus erat Antonius Arnaldus Sorbonæ Doctor, qui quidem per integrum biennium post editam Innocentii X. Constitutionem obsequio sua

ſum ſilentium præſeferebat, hoc autem anno luculentius, quæ hanc in rem animo excoquerat, calamo ſuo prodidit, occaſione inde arrepta; cum enim Liencurtius Dux ad verni jejunii initium Picotteo Sacerdoti ad Sanctum Sulpitium ſua deponeret peccata, hic eidem abſolutionis gratiam denegabat, ſub obtentu, quod Dux nulla ſinceræ erga Pontificis Bullam ſubmiſſionis ſigna ederet, & cum Janſeniani libri ſautoribus, quos hic Confeſſarius Conſtitutioni Pontificiæ minus ſubmiſſos reputabat, familiare commercium habere continuaret, nec Burzaium Abbatem, qui Janſenii librum calamo ſuo propugnabat, ex ædibus ſuis, nec inſuper Neptin ſuam ex Abbatia Portus Regii removeret. De hac Confeſſarii aſperitate vehementer querebatur Ducis uxor apud Ollierum Parochum, qui tamen approbata Confeſſarii agendi ratione Duciſſæ denuntiabat, quod ſi ejus Maritus Eccleſiam Parochialem pro ſacra Synaxi acceſſurus eſſet, ab ea ſine dubio arcendus foret: Hujus repulſæ rumor mox totam pervaſerat urbem Pariſinam, & non pauci, cum hanc agendi rationem in hoc Confeſſario reprehenderent, deſuper Arnaldi ſententiam exquiſierunt: Hic ergo ea, qua præditus erat, ingenii promptiſſimi acie,

Sæc. XVII. A.C. 1655.

Sæc. XVII. A. C. 1655.

mentisque calore, mox die vigesima quarta Februarii hoc anno epistolam typis edidit, in qua hunc Confessarium imprudentiæ, temeritatisque arguens, suam suorumque Amicorum innocentiam vindicare nitebatur, palam professus, quod ipse & alii omnes ab omni errore alieni quinque propositiones Papa damnatas, in quocunque demum libro reperirentur, sincero animo & absque ulla restrictione rejicerent, necnon vis cujusdam privati Authoris opinionibus circa gratiam, sed duntaxat doctrinæ D. Augustini insisterent. Enimvero hæc epistola nomen Arnaldi non præseferebat, nemini tamen dubium erat, eam ex ipsius calamo profluxisse doctrinæ stylique æqualitate Authorem prodente, simulque scribendi prurigenem acuente illorum, qui contradicendi libidine, propriique commodi ac ulti nis studio potius, quam veritatis & Apostolici obsequii amore impulsi, majorem subjectionem, quam ipsamet Ecclesia, deposcerent: Ex horum igitur officina prodiere quamplurimi libelli, in quibus hujus Confessarii severitas agendique ratio vindicata. Arnaldus vero præcipue ab Annato & Ferrier Jesuitis provocatus est, ut circa Pontificis Constitutionem suam mentem declararet, palamque profiteretur, quod

juxta

juxta Episcoporum judicium quinque propositiones in sensu Jansenii, & ut in ejus libris contentas damnet: Ad hæc scripta Arnaldus mox respondit, atque apposito suo nomine prolixiorem edidit epistolam sub hoc titulo: *Arnaldi Doctoris Sorbonici ad quemdam Ducem & Franciæ Parem epistola secunda, qua pluribus respondetur scriptis contra primam ejus epistolam evulgatis circa ea, quæ cuidam Aulico in Parisina quadam Parochia contigerunt, data ex Portu Regio in Campis die decima Julii anno* 1655.

Sæc. XVII. A. C. 1655.

§. LXXVIII.

Censura Facultatis Theologicæ Parisiensis lata in secundam Arnaldi epistolam.

Cum autem Theologorum non pauci in secunda hac Arnaldi epistola Jansenii librum a Papa & Franciæ Episcopis proscriptum palam defendi crederent, eandem die quarta Novembris apud Dionysium Guyart Facultatis Syndicum, quem Jansenianæ doctrinæ hostem, & Corneti olim Syndici necnon Jesuitarum mancipium fuisse dicunt, denuntiarunt. Hic ergo die quarta Mensis Novembris hoc anno in comitiis sacræ Facultatis Theologicæ retulit, „hac in epistola a viris doctis & piis

Hist. des cinq propos. l. 2. p. 89.

Sæc. XVII A. C. 1655

„quædam notari, quæ tum summi Pontificis & Episcoporum auctoritati adversarentur, tum etiam cum fide Catholica & decretis Facultatis pugnarent.„ Huic rei ut mature ac serio provideret Facultas, Epistolæ illius legendæ & examinandæ curam commisit sex e Sapientissimis Sorbonæ Magistris necnon Decano & Syndico. Hi quidem, cum per mensem Novembrem eam in rem sedulo & diligenter incubuissent, atque inter se diu ac multum contulissent, prima die mensis Decembris ejusdem anni 1655. in Generalibus Comitiis, Facultati retulerunt, illa in Epistola inter alia reprehensione dignissima, ea se præsertim observasse, quæ perspicuitatis & compendii caussa reduci posse viderentur ad duo capita, sive ad duas quæstiones vel propositiones, quarum altera diceretur facti, altera juris, prioremque illam his contineri verbis: *Patet ex ipso hujus Audit. judicio humilitas & amicorum suorum moderatio, eoquod hi nil nisi puram D. Augustini doctrinam propugnassent, non autem propositiones damnatas, quas constanter reputarunt obtrusas ab illis, qui opinionem doctrinis Magni hujus Doctoris contrariam propugnant.*

Pag. 49.

Pag. 130.

Quare autem, inquiunt illi, duæ apologiæ pro Jansenio fuerunt confectæ? id

idem

ideo factum, quia Dei & Ecclesiæ honorem in discrimen vocari creditum, si toleraretur, ut sub Jansenii nomine in publicis cathedris immotissima cœlestis doctrinæ Divi Augustini dogmata tanquam impietates & hæreses traducantur, illaque per spuriorum Conciliorum anathemata, & crassissimas Historiæ Ecclesiasticæ ignorantias, necnon per S. Paginæ textus aut in verbis falsificatos, aut in sensibus depravatos impugnentur, & denique variæ hæreses & errores imputentur cuidam Episcopo, qui tamen ab iis alienissimus erat.

Sæc. XVII. A. C. 1655.

Quis adeo inique sentiat, ut illi, qui sedulo quemdam librum pervolverunt, & in illo propositiones Catholico Authori post ejus obitum adscriptas & in Pontificis Constitutione notatas non repererunt, eas tamen ibi reperiri, profiteri teneantur, & licet illas aliunde damnent, in quocunque demum libro fors reperirentur, nihilominus pro hæreticis, excommunicatis, & ab Ecclesia segregatis jure haberi valeant, perinde ac si quæstio facti, cujus testes sunt hominum oculi, fidei articulus esse posset, qui nonnisi revelatione Divinæ innititur: quo jure Catholici Doctores hæresis accusari poterunt, qui omnia, quæ in præfata Constitutione fidem respiciunt, amplectuntur, & circa hanc quæstionem facti non sunt pertinaces, sed cedere parati, quamprimum eis hæ propositiones in libro, ex quo decerptæ dicuntur,

Sæc. XVII. A. C. 1655.

tur, ostensæ fuerint, quod facillimum fo-ret, si reipsa exin fuissent desumptæ, secus autem impossibile; quinimo etsi hi Theologi in hac quæstione facti errarent, non tamen propterea essent hæretici, aut a fide Ecclesiæ alieni, sed forte non tam bene oculati Grammatici, ac fuerunt illi, qui has propositiones in hoc libro conspexerunt, idem quoque Arnaldus in sua epistola Pag. 152. repetiisse dicebatur, eundem vero circa quæstionem juris erraſſe, colle-gerat Syndicus ex sequenti propositione. *Si Molinæ Discipulis credimus, in Calvini hæresin illico degeneravit luculenta illa veri-*

Pag. 226. *tas per Evangelium stabilita, & compro-bata per Sanctos Patres, qui in D. Petro exhibent justum, cui gratia, sine qua nihil possumus, defuit in ea occasione, in qua eum non peccasse, haud dici potest.*

His ita relatis Syndicus petiit, ut Facultas quosdam nominaret Doctores, qui has propositiones discuterent: Huic tamen obstitit Sant-Amoreus, exhi-bens Arnaldi literas die vigesima se-ptima Augusti ad Pontificem datas, in quibus hic innocentiam suam vindicas-set, suamque epistolam Sedis Aposto-licæ judicio subjecisset, hæque literæ Pontifici die vigesima quarta Septem-bris fuissent traditæ: Censebat Dec-nus, aliique Doctores, expectandum esse Pontificis responsum, prævaluit tamen opinio

opinio ceterorum, qui alteram hanc Arnoldi epiſtolam eſſe examinandam pronuntiarunt, hinc Facultas eam in rem Chapelaſium, Cornetum, Monachum, Bredam, Bailium, Patrem Nicolai Dominicanum, & Facultatis Decanum ac Syndicum nominabat: Adverſus hoc Facultatis decretum & nominatos Doctores Sant - Amoreus, pluresque alii Doctores die decima ſexta ejusdem Menſis ad Parlamentum provocarunt, ſupplices, ut Facultas epiſtolæ examen, donec deſuper Parlamentum decidiſſet, ſuſpenderet, ſimulque illud Curiæ decretum, quo cautum, ne ex Mendicantium Ordinibus plures Doctores, quam duo ex quolibet Ordine ſuffragio deliberativo gauderent, executioni daretur. Præterea Caſtellenius, aliique plures Guyarti Syndici electionem irritam declarari petebant. Ita Arnaldi fautores pro impediendo epiſtolæ examine omnibus cuniculis Facultatem Pontificiæ Conſtitutioni propitiam oppugnarunt: nihilominus die vigeſima nona Novembris Regio decreto ſancitum, ut nulla mora nominati Doctores alteram Arnaldi epiſtolam diſcuterent, ac in proximo Sorbonæ Conventu, cui etiam Iſſalii (ſeu Arnaldi) fautores, ſi eis bene viſum fuerit, intereſſe poterint, deſuper referant: Ordinum vero Men-

Sæc. XVII. A. C. 1655.

Sæc. XVII. A. C. 1655. Mendicantium Doctores in Curia com-
parerent, decernenda percepturi:

Discussa igitur mature Arnaldi epistola, nominati Doctores in comitia die prima Decembris, quæ de præfata epistola censerent, referebant. Burgoius autem Sorbonæ Doctor alias ejusdem Arnaldi literas recitari petiit, in quibus hic palam profitebatur, quæ *Facultatem tanquam Matrem suam venerentur, audiri tamen, sibique ea, quæ censeris digna crederentur, exhiberi possint.* Sequenti die omnes Doctores in Sorbonæ aula convenerant, præ ceteris vero Sant-Amoreus, Ordinum Mendicantium Doctores præscriptum numerum excedentes excludi petiit; quoniam vero hi ad Curiam non fuissent vocati, proin in aviti juris sui possessione relicti, hujus oppositionis nulla habita est ratio, sed Capellasius ea, quæ in Arnaldi epistola tam circa quæstionem facti, quam juris perstringenda essent, retulit, quibus perceptis sacra Facultas post accuratam disquisitionem tandem decrevit, priorem illam quæstionem, sive propositionem, quæ est facti, esse TEMERARIAM, SCANDALOSAM, INJURIOSAM SUMMO PONTIFICI ET EPISCOPIS GALLIÆ, ATQUE ETIAM PRÆBERE OCCASIONEM RENOVANDÆ EX INTEGRO POST-

DAM-

DAMNATIONEM JANSENII DOCTRINÆ. Sæc. XVII. A. C. 1655.

Præterea Lescotus Carnutensis Episcopus Jansenii librum afferri jussit, cum aliis Doctoribus declarans, ostensurum se, quod omnes quinque propositiones in hoc libro continerentur, verum Arnaldi fautores Episcopum præpedierunt.

Circa alteram vero propositionem, quæ juris dicebatur, Facultas pronuntiabat, *eam esse temerariam, impiam, blasphemam, anathemate damnatam & hæreticam.* *Abrege de l'Hist. Eccl. t. 11. p. 344.*

Postea unanimi suffragio a Facultate decretum, ut Arnaldus ad comitia die septima Decembris celebranda accederet, suamque mentem *candide, simpliciter sine ambagibus & disputatione* explicaret, seque Facultatis judicio adhæsurum profiteretur. Arnaldus tamen non comparuit.

§. LXXIX.

Ulterior Facultatis deliberatio circa primam Arnaldi propositionem.

Præstituta die Sant-Amoreus epistolam protulit, qua Arnaldus plenam Facultati submissionem spondebat: Decanus igitur primam Arnaldi propositionem discuti jussit, ubi vero quidam Doctor etiam in libro Jansenii omnes quin- *Hist. des cinq. propos. t. 2. p. 96.*

Sæc. XVII. A.C 1655

quinque propositiones contineri, ostendere pararet, a pluribus, sub obtentu, quod nunc de Jansenio non agaretur, fuit præpeditus, tamque inconditum clamorem, ac tumultum Arnaldi fautores concitarunt, ut Conventum solvere oportuerit, Episcopo Montalbensi declarante, se totum rem successum Regi denuntiaturum, qui etiam die decima ejusdem Mensis Regium exhibuit mandatum, ut in cæpta Arnaldi caussa sine interruptione, & sine ambage, pacate tamen procederetur: postea Sant - Amoreus scriptum obtulit, in quo Arnaldus propositionem circa quæstionem facti explicare nitebatur, declarans, „quod hanc quæstionem facti, ut impactam hæreseos calumniam a se amoliretur, pertractare „coactus fuerit; immerito enim illum „pro hæretico haberi, eoquod admittere recusaret, quinque has propositiones non esse Jansenii, sedulo „quidem ejus librum pervolvisset, nec „tamen eas in illo invenire potuerit, „semper autem omnem venerationem „sacræ Sedi, & Episcopis exhibere studuerit, nec subjectioni summo Pontifici debitæ ex eo deesse censeat, quod „de facto in ejusdem Constitutione exposito dubitet: proin in Facultatis pietatem, eruditionem & sapientiam „plu-

„plurimum confisus sperat, eam super „illa, quæ nunc exposuisset, mature „deliberaturam.„ Die igitur decima septima & sequenti desuper a Facultatis Doctoribus actum, ubi tamen Brusseus, aliique Arnaldi fautores tam prolixos habuere sermones, ut deliberationis exitum quæsitis moris eludere viderentur: eapropter Perefixius tum Rutenensis Episcopus comminabatur, se hosce Doctores tanquam Regii mandati transgressores denuntiaturum.

Sæc. XVII. A. C. 1655.

Postquam igitur præfatus Episcopus Regem de omnibus in Facultatis consessu gestis certiorem reddiderat, ejus jussu Seguierius Franciæ Cancellarius comitiis die vigesima habitis interfuit, hæc exponens: „ut ordo, pax „& libertas sarta servetur, vestris deli„berationibus interesse jussus sum: agi„tur de Ecclesiæ, & Pontificis honore, „necnon de celeberrimæ juxta ac do„ctissimæ Facultatis Theologicæ, sicut „& de cujusdam Viri pietate & doctrina „inclyti fama: rursus autem inculco Re„gis mandata a nonnullis vilipensa: sine „mora ergo, pacate, sine ambage, & „omissis, quæ ad rem non pertinent, „cæptæ deliberationi insisti, Rex po„stulat: obediant igitur omnes, ne mi„nus grata Regi referre cogar.„ Postea quatuordecim habebantur Sessiones,

Sæc. XVII. A. C. 1655.

in quibus major quidem moderatio haud minor tamen sermonum prolixitas deprehendebatur, quocirca Cancellarius denuo Arnaldinos, ut inutilia resecarent, hortabatur, vehementius autem declamabat contra illos, qui eum arguebant, perinde ac si Facultas *Regiam censuram* obtrudere machinaretur: „non caret exemplo, inquiebat, „quod Cæsares aut eorum Legati pro „conservanda pace & concinno ordine „Conciliis & Ecclesiasticorum Conventibus intervenerint; cum autem de „præsentiarum agatur de Pontificia „Constitutione, cujus utpote ad Regis ac Franciæ Præsulum preces „impetratæ observantiam Rex tenetur „quam filius primogenitus Ecclesiæ „ejusque jura tueri, sacramento obligatus urgere tenetur: ego autem ut „aliud præsentia mea assequi desiderem „nisi ut in his deliberationibus integra „haberetur libertas, & leges a Facultate „tate præscriptæ observentur.„ Hinc perceptis auditisque Doctorum sententiis Facultas primam Arnaldi propositionem circa quæstionem facti perstringere parabat, quo comperto Arnaldus per suos Amicos die undecima Januarii anni sequentis scriptum Facultati exhibuit, in quo profitebatur, quod in illa „epistola nunquam adeo clare locutus „sit

„fuisset, si propterea in crimen vocari „prævidisset, eam ergo tanquam non „scriptam haberi velit, veniamque a Papa „& Episcopis precetur; „ cum autem Arnaldus in hoc scripto nondum fassus esset, quod Jansenii doctrinam a Papa & Episcopis pro hæretica habitam propugnando erraverit, seque Pontificis & Episcoporum judicio ac sentiæ submittere paratus sit, hinc Cancellarius deliberationes continuari, hujusque declarationis rationem nullam haberi præcepit. Die ergo decima quarta Januarii centum triginta Doctores pronuntiarunt, primam Arnaldi propositionem esse *temerariam*, *scandalosam*, *summo Pontifici & Episcopis injuriam*, *aptamque ad Jansenii doctrinam nuper damnatam penitus innovandam*: Lata hac censura Convenensis Episcopus censuit, nuperam Arnaldi declarationem ad reparandam injuriam Pontifici & Episcopis illatam haud esse idoneam, proin ipsum esse compellendum ad palinodiam publicam, claram, legitimam & sufficientem: verum sexaginta octo Doctores judicabant, Arnaldum quidem halucinasse, ejus tamen propositionem publicæ censuræ non esse obnoxiam, alii octo Doctores Arnaldum ab omni censura absolvebant, alii denique super hanc rem in ambiguo sitam pronuntiari

Sæc. XVII. A. C. 1655.

Sæc. XVII. A. C. 1655. haud posse censebant. Prævaluit tamen major suffragiorum pars, eapropter Decanus ad diem decimam septimam proximum indixit Conventum, in quo de altera propositione circa quæstionem Juris deliberaretur.

§. LXXX.

Facultatis judicium circa secundam Arnaldi propositionem quoad quæstionem Juris.

Hist. Eccl. du Pin l. c.

Eadem igitur die Minceus Doctor alteram Arnaldi apologiam exhibuit, eamque prælegi petiit, Syndicus vero Congregatos hortabatur, ut breviter studerent, ac deliberarent, an prælegenda Apologia esset prælegenda, & utrum ad Burgoii petitionem testimonium *Jansenii libro non examinato* Arnaldistis dandum esset: Decidebatur autem communi omnium suffragio ad deferendum cuilibet Doctori spatium dimidiæ horæ indulgendum, & Arnaldi apologiam privatim Doctoribus communicandam, Burgoii autem postulatum non esse deferendum: His ita decisis undecim habebantur conventus, in quibus secunda Arnaldi propositio examinata, præceteris a Carnutensi, Ambianensi, & Rutensi Episcopis tanquam hæretica rejiciebatur, censente etiam Montalbanensi Episcopo, conficiendam esse submissionis formulam, cui Arnaldus

dus subscriberet, quod tamen ceteris haud probabatur; inde vero acres concitabantur altercationes, eoquod Arnaldistæ tam arctum temporis spatium sibi fuisse indultum quererentur: verum Cancellarius, qui denuo Sessioni die vigesima quarta Januarii habitæ intererat, præscripto tempori insisti voluit: unde Arnaldi fautores, præter quatuor, unaomnes abiere, nec ultra subsequentibus Sessionibus interfuerunt: ipse quoque Arnaldus die vigesima sexta ejusdem Mensis coram Notariis declarabat, quod justis de caussis Facultatis conventum pro legitimo habere non possit, „cum in illo Theologis suas opi„niones probandi libertas, præter alia „vitia insanabilia, fuisset denegata, ad„versus ergo omnia hucusque gesta & „gerenda reclamet, & meliori modo „adversus ea sibi prospicere intendat.„ Insuperhabita hac Arnaldi oppositione, die vigesima nona Januarii, centum viginti septem Doctores, ac tres Episcopi secundam Arnaldi propositionem esse temerariam, impiam, hæreticam, ac anathemate damnatam censuerunt, nonnisi novem Doctoribus eandem tuentibus.

Sæc. XVII. A. C. 1655.

§. LXXXI.

Arnaldus Sorbonæ Doctor e gremio Facultatis ejectus.

Sæc. XVII. A. C. 1655.

Argentre coll. Jud. t. 3. p. 68.

Pronuntiata, typisque edita hac cen-
sura congregati Doctores decrevere
Arnaldum e Facultatis gremio esse e-
ciendum, atque Doctorum Albo ex-
pungendum, nisi intra quindecim die-
rum spatium Facultatis censuræ se
submiserit, eamque suo chirographo
comprobaverit; Hanc in rem Faculta
die ultima Januarii sequens edidit de-
cretum: „Optaret sane, et ex anim
„optaret sacra Facultas, prædicti Ma
„gistri Antonii Arnaldi damnata do
„ctrina, personam servari, quippe fi
„charissimam, tanquam filium Matr
„& eam in rem sæpe ipsum per amico
„hortata est, ut veniret ad Comitia
„Matri se subjiceret, ejuraretque fi
„sam & pestilentem doctrinam, ide
„cum ea sentiret, *& unanimis atque u*
„*cum ea corde & ore honorificaret Deu*
„*& Patrem Domini nostri Jesu Chri*
„Verum non modo amantissimæ pare
„tis suæ consilia & hortamenta co
„tempsit, sed etiam die vigesima sep
„ma præsentis mensis per Apparitore
„Regium eidem Facultati significavi
„se pro irrito ac nullo habere, qu
„quid ipsa in re præsenti egisset, actur
„que esset.„

„Quare eadem Facultas ipsum
„sinu suo repellendum, expungendum
„que ex albo Doctorum suorum, atque
„a corpore suo plane resecandum ce
„sui

„ſuit, & ipſo facto repulſum, expun- Sæc. XVII.
„ctum, reſectumque declarat, niſi in- A.C. 1655.
„tra diem decimum quintum menſis
„Februarii proxime ſequentis mentem
„ſuam mutaverit, & huic præſenti Cen-
„ſuræ ſubſcripſerit coram Domino De-
„cano, Illuſtriſſimis Epiſcopis, Doctori-
„bus, & prædictis Deputatis. Ac ne
„longius ſerpat ſuperior illa Arnaldi
„doctrina, & quaſi lues, quæ jam mul-
„torum animos occupavit; eadem ſacra
„Facultas decrevit, neminem poſthac
„aut e Doctoribus ad Comitia, & alia
„quælibet jura ad ipſam pertinentia,
„aut e Baccalaureis ad ullos actus Theo-
„logicos, ſive ad diſputandum, ſive ad
„reſpondendum, aut e Theologiæ Can-
„didatis ad ſupplicandum, ut vocant,
„pro primo curſu, vel de Tentativa re-
„ſpondendum, admiſſum iri, niſi antea
„huic quoque Cenſuræ ſubſcripſerit.
„Atque etiam, ſi quis Arnaldi ſupe-
„riora illa probare, aſſerere, docere,
„prædicare, ſcribereve ſit auſus, eum
„ab eadem Facultate prorſus repellen-
„dum eſſe. „

„Decrevit inſuper hanc Cenſuram
„ſuam prælo mandandam, & publican-
„dam eſſe; ut omnes intelligant, quan-
„tum eadem Facultas peſtilentem &
„exitialem illam doctrinam execretur
„ac deteſtetur. ACTUM Pariſiis in
„Facultatis Theologicæ Comitiis gene-

Sæc. XVII. A. C. 1655. „ralibus apud Sorbonam die ultima „Januarii, anno Domini milleſimo ſex„centeſimo quinquageſimo ſexto & con„firmatum die prima Februarii ejus„dem anni. „

Hoc decretum unacum Facultatis cenſura die prima Februarii in publico Doctorum conſeſſu fuit prælectum, confirmatum, ac demum decima octava die ejusdem Menſis a Decano & a plusquam centum Doctoribus & ſex Epiſcopis ſubſcriptum fuit.

§. LXXXII.

Index textuum ex Janſenii libro, in quibus propoſitiones ab Innocentio X. damnatæ.

Quoniam vero tam Arnaldus, quam ejus Amici identidem obtenderent, quod poſt aſſiduam lectionem, in Janſenii libro quinque propoſitiones ab Innocentio X. damnatas invenire non potuerint, proin Pontifex, eas in hoc libro reperiri, atque in ſenſu Janſenii eſſe proſcriptas, definire haud potuerit, hinc quidam ſacræ Facultatis Magiſtri ex Janſenii Auguſtino indicem compoſuerunt illorum textuum, in quibus propoſitiones ab Innocentio X. proſcriptas contineri exiſtimabant. Hujus Indiculi tenor eſt ſequens:

PRO-

PROPOSITIONES ab Innocentio X. damnatæ.

Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus, & conantibus, secundum præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia, deest quoque gratia, qua possibilia fiant.

PROPOSITIONES Augustini Cornelii Jansenii Iprensis Episcopi.

„Ex Cap. 13. lib. 3. de gratia „Christi Salvatoris, cui titulus „est. *Esse quamdam voluntatis in-„firmitatem, qua non potest certas „tentationes superare, nec adest gratia, qua superentur, nec Spiritus „orationis, quo vires impetrentur.* „Ex hac indubitata doctrina „quædam non parvi momenti „ad hanc rem spectantia infe-„runtur, & clarescunt. Primum „quidem, esse quædam homini „præcepta secundum statum & „vires, in quibus constitutus „est, impossibilia, §. *ex hac.* se-„cundum, non adesse semper „gratiam, qua possimus, hoc „est, qua illa eadem præcepta „implere sufficiamus, §. *Se-„cundum.*„

„Tertium, hanc impotentiam „reperiri non solum in excæca-„tis & obduratis, & infideli-„bus, de quibus nunquam Au-„gustinus vel Ecclesia, sed so-„lum Scholastici nonnulli ex „humanis rationibus dubita-

„runt, ſed etiam fideles juſti,
„qui & fidem Chriſti, & cha-
„ritatem juſtitiæ ſuſceperunt.
„§. *Tertium.*

„Hæc igitur omnia pleniſſi-
„me planiſſimeque demonſtrant,
„nihil eſſe in ſancti Auguſtini
„doctrina certius ac fundatius,
„quam eſſe præcepta quædam,
„quæ hominibus non tantum
„infidelibus, excæcatis, obdu-
„ratis, ſed fidelibus quoque &
„juſtis, volentibus, conantibus
„ſecundum præſentes, quas ha-
„bent vires, ſunt impoſſibilia,
„deeſſe quoque gratiam, qua
„fiant poſſibilia §. *hæc igitur.*

„Ex cap. 16. lib. 4. tom. 1.
„Cui titulus eſt: *Argumenta non-*
„*nulla, quibus non peccandi poſſi-*
„*bilitatem aſtruunt.*„

„Inſtantiſſime hoc idem in-
„culcat Pelagius, ut virgini
„Demetriadi poſſibilitatem per-
„fectionis perſuadeat. Adlec-
„bimus, inquit, iniquitatem
„juſto, pio crudelitatem, dum
„eum primo impoſſibile aliquid
„præcepiſſe conquerimur. Et
„poſt multa in eandem ſenten-
„tiam: nec impoſſibile aliquid
„voluit imperare, qui juſtus
„eſt,

„eſt: nec damnaturus hominem „fuit pro eo, quod vitare non „potuit, qui pius eſt; quæ ver„ba graviter reprehendit, re„fellitque Beda, tametſi per„peram putet eſſe verba Julia„ni. Vides, arbitror, quanti „hoc argumentum facerent Pe„lagiani. §. *per hanc*.

„Conſtat adhuc, hanc eſſe „Janſenii doctrinam, ex duplici „illius principio. Primum eſt, „gratiam per ſeipſam efficacem „ſeu medicinalem, ad ſingulos „actus bonos eſſe ſimpliciter ne„ceſſariam. Secundum eſt, gra„tiam ſufficientem eſſe Semi„pelagianorum commentum. „Ex his ſic infertur prædicta „Janſenii propoſitio. Juſtus, „quando a juſtitia cadit, non „habet gratiam efficacem, quia „non caderet, non habet ſuffi„cientem, quia illa ſupponitur „proſcripta a Janſenio, tanquam „hæretica, ergo nullam habet „gratiam ad præceptum im„plendum, & peccatum vitan„dum, ergo caret potentia, er„go præceptum eſt illi impoſſi„bile, & peccatum inevitabile.„

II. Ex

II.

Interiori Gratiæ in Statu naturæ lapsæ nunquam resistitur.

II.

„Ex cap. 25. lib. 2. de gratia „Christi Salvatoris, cui titulus „est. *Decimo, ejus efficacissima na„tura declaratur, ex eo, quod nulla „prorsus effectu caret, sed eum in „omnibus, quibus datur, insalli„biliter operatur.*

„Primo igitur hoc probat, „quod apud Augustinum gratia „& opus bonum ita reciprocen„tur, ut quemadmodum ex „gratia data mox effectum ope„ris consecutum inferri solet, „ita vice versa ex defectu ope„ris gratiam non esse datam. „Quo ratiocinandi modo indi„catur, gratiam tanquam caus„sam & operationem voluntatis bonam, velut effectum esse, „ut Philosophi loquuntur, con„vertibiles, & a se mutuo in„separabiles. §. *Primo.*

„His igitur & ejusmodi cre„bris locutionibus affirmativis, „sicut significat Augustinus, „hoc ipso, quo homini data „est gratia, mox effectum se„qui, sic e contrario negative „subinde ratiocinando docet, „hoc ipso, quo effectu homo „desti-

„deſtituitur, nullam ei gratiam „collatam eſſe. §. *his igitur.*

„Ex cap. 4. lib. 2. cui titu„lus eſt. *Affertur ex Auguſtino „ac declaratur diſcrimen adjutorii „ſanæ voluntatis & ægrotæ.*

„Secundi generis adjutorium „non eſt tale, ſed hoc ipſo, „quo datur ſimul uſus ejus, & „influxus poteſtatis datur. Eſt „enim hoc ipſum, quod ſuapte „efficacia facit influere facul„tatem, nec facultatis ipſius „libero arbitratui ſubjacet, ſed „invicte facit, ut hoc vel iſtud „arbitrium arbitretur, & velit. „Talis eſt influxus omnis cauſ„ſæ formalis, hoc ipſo quippe, „quo adeſt juſtitia, fit juſtus „animus, & ſine illa juſtus eſſe „nunquam poteſt. §. *ex iſto.*„

„Ex cap. 14. lib. 2. Hoc e„nim imprimis poſtulat ſolem„nis ille loquendi modus, quo „juxta ſacrarum Scripturarum „normam Auguſtinus & Con„cilia docent, per iſtud Chriſti „adjutorium Deum facere, ut „arbitrium velit, ut conſentiat, „ut operetur; nunquam autem „vel leviter inſinuat, ſed potius „expreſſis verbis negat, in ho-

„minis

„minis lapsi sicut integri ha
„voluntate relinqui, ut illu
„amplectatur, aut deserat.
„*hanc igitur.*„

„Ex cap. 28. lib. 2. Isti, i
„quam, gratiæ ostendimus
„recte repugnare gratiam Chr
„sti, tanquam quæ non reli
„quit voluntatem in isto æqu
„librio, sed illud auferat,
„efficiat, ut velit. Ideo qui
„pe tribuitur, ut duritia
„resistentia cordis primitus a
„feratatur. §. *hactenus.*„

„Talem fuisse Jansenii d
„ctrinam adhuc patet, tum e
„quinque effectibus gratia
„quos tradit cap. 6. 7. 8. tu
„ex octo illius proprietatib
„ac notis, quas ponit cap. 2
„tum ex discrimine adjuto
„sanæ & ægrotæ volunta
„cap. 4. lib. 2. Cujus prin
„pium & fundamentum pos
„in libro singulari de grat
„primi hominis & Angelorum.

III.

Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ

III.

„Ex cap. 24. lib. 6. de grat
„Salvatoris. Sexto opus e
„laude vel vituperio dignum
„meritorium vel demeritorium
non

non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.

ex hoc, quod est voluntarium, „spontaneum, non coactum, „tametsi sit determinatum ad „unum. §. *Sexto.*„

„Ex cap. 17. Sexto libertatem voluntatis prorsus esse „inamissibilem, cum fieri non „possit, quin voluntas semper „velit, si velit, ipsum autem „velle, hoc ipso est liberum, „quo est velle voluntatis. §. „*Sexto.*„

„Ex cap. 5. lib. 6. Nimirum „quia juxta doctrinam ejus a„pertissime traditam, voluntas, „seu volitio, & libera voluntas „idem sunt, sicut velle, & li„bere velle, & impossibile sit, „ut velle non sit liberum. §. „*hinc ergo.*

„Ex cap. 4. lib. 6. Recentio„res enim imaginantur, illum „tantummodo actum esse in „nostra potestate, hoc est, in „libero nostræ voluntatis arbi„trio, & illius tantum nos esse „dominos, quem pro libitu no„stro positis omnibus ad agen„dum necessariis possumus fa„cere & non facere. Qua in „re, juxta Augustini Senten„tiam creberrime nobis expli„catam,

„catam, ſine dubitatione fal-
„luntur. §. *quæ cum.*„

„Ex cap. 8. lib. 6. Accedit
„denique paradoxum in Auge-
„ſtini doctrina inauditum eſſe,
„quantum ego eam perſcrutari
„potui, quod actus aliquis vo-
„luntatis propterea liber ſit,
„quia ab illo deſiſtere voluntas
„& non agere poteſt; cum po-
„tius diametraliter e contra-
„rio, ſemper ab eo propterea
„libertas alicujus actus aſſere-
„tur, quia voluntas eum agere
„poteſt. §. *necquicquam.*„

„Hanc demum Janſenii men-
„tem eſſe, evidenter convinci-
„tur ex eo, quod hæreticum
„exiſtimet aſſerere, requiri in-
„differentiam ad libertatem,
„atque illam indifferentiam in
„primo homine ſtatuit, poſita
„nempe in æquilibrio, cujus
„libero gratiæ uſus vel non
„uſus ſubdebatur arbitrio, ſed
„in illo per peccatum depe-
„ditam vult indifferentiam: de
„peccantem peccandi ſubſecu-
„tam neceſſitatem: Sic in ſe-
„bris de ſtatu naturæ lapſæ, de
„de gratia Salvatoris, quapro-
„pter in illis gratiam aſtruit,

quæ

„quæ non tantum det posse; „quam vult esse Semipelagia„norum, sed etiam det ipsum „operari, solamque libertatem „a coactione remansisse conten„dit, & pluribus probat tum „ex libertate Dei, Christi, & „Beatorum, tum ex Patrum „& antiquorum Theologorum „authoritate, toto libro sexto „& septimo de gratia Salvato„ris. „

IV.

Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei, & in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare.

IV.

„Ex lib. 8. cap. 6. Cui titu„lus est, *tertia gratia generalis* „*Massiliensium est actualis, inter„na, & sufficiens ad credendum,* „*non ad operandum.* Late ex „principiis Augustini & Massi„liensium astruitur, aliqua de „natura ejus. In hoc ergo pro„prie Massiliensium error situs „est, quod aliquid primævæ „libertatis reliquum putant, „quo sicut Adam, si voluisset, „poterat perseveranter operari „bonum, ita lapsus homo sal„tem credere posset, si vellet, „neuter tamen absque interio„ris gratiæ adjutorio, cujus „usus vel abusus relictus esset

„in unius cujusque arbitrio d
„poteſtate. §. *hoc eſt.*

„Ex cap. 12. lib. 2. de grati
„Salvatoris. Hoc igitur mod
„quia Maſſilienſes cum grati
„præſentis adjutorio putaba
„hominem per naturales p
„mæ integritatis reliquias p
„ſe credere, poſſe errare ac d
„ſiderare Deum, tanquam gr
„tiæ medicinalis deſtructore
„& liberi arbitrii præſumpt
„res merita cenſuræ ſeverita
„damnati ſunt. §. *quæ quam*

„Ex cap. 9. Cum igitur
„centiorum adjutoria nihil o
„nino compleant, niſi plen
„volendi agendique facultate
„cujus jam adjutorio inſtru
„tanquam naturalis cujusli
„facultatis uſus & non uſu
„actio & ceſſatio libertati ſ
„ditur, profecto & cæcis m
„niſeſtum eſt, impoſſibile eſ
„ut aliud ſit iſtud adjutorii g
„nus quam poſſibilitatis, qua
„Pelagianus error aſſeruit, m
„voluntatis & actionis, quo
„Auguſtinus ex Scriptura pr
„dicavit. §. *cum igitur.*„

„Ex cap. 12. Memoria rec
„lendum eſt id, quod latiſſim

„ali

„alio loco tradidimus, Semi-
„pelagianos ad illud initium fi-
„dei, orationem, desideria,
„similesque actus bonos, quos
„in hominis potestate reman-
„sisse sentiebant, veræ internæ,
„actualisque gratiæ adjutorium
„statuisse necessarium, & hoc
„ipsum sanctum Augustinum,
„quod cum Semipelagianis er-
„rabant, agnovisse. §. *Quinto.*

„*Ibidem.* Istud vulnus arbi-
„trii, ista plaga voluntatis, ista
„infirmatio libertatis non ma-
„gis isto Adami, vel Angelico,
„vel sufficienti, vel congruo sa-
„natur aut juvatur adjutorio,
„quam si cæcatis oculis lumen
„accenderes. §. *quæ quamvis.*

„*Ibidem.* Hoc libertati tribue-
„runt Massilienses, ut eo ad-
„juta crederet voluntas pro-
„strata si vellet: hoc tribuunt
„Neoterici, ut per illud & cre-
„dat, & speret, & diligat, om-
„nesque superet tentationes,
„si similiter velit. §. *quæ quam-*
„*vis.*„

„Ex lib. 8. de hæresi Pela-
„giana cap. 6. Itaque Massilien-
„sium opinionibus, & Augu-
„stini doctrina quam diligen-

„tissime ponderata, certum esse,
„indubitatum esse, debere sen-
„tio, quod Massilienses præter
„prædicationem atque naturam,
„veram etiam & internam, d
„actualem gratiam ad ipsam e
„tiam fidem, quam humana
„libertatis & voluntatis adscr
„bunt viribus, necessariam es
„fateantur. §. *itaque.*

„Hunc esse Jansenii sensu
„probat illud, quod docet to
„lib. 8. de hæresi Pelagiana
„tum ex iis, de gratia sufficien
„nempe monstrum esse: Sem
„pelagianorum commentum
„peccati originalis virus eve
„cuare: adhuc naturæ grati
„Christi, & Augustini princ
„piis penitus contrariam; lib.
„de gratia Salvatoris, tu
„quia Pelagianos, & Massilien
„ses errasse contendit in hoc
„quod gratiam, quæ volunta
„tem relinqueret indifferentem
„astruerent; quæstionem enim
„fuisse præcipue de illius org
„randi modo, ac circa illum
„eos præsertim arbitratur er
„rasse cap. 9. & 12. lib. 2. de
„gratia Salvatoris.„

V. „Ex

V.

Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.

V.

„Ex cap. 21. lib. 3. de gratia „Salvatoris, cui titulus est: „*Quomodo Christus sit Redemptor „omnium, pro omnibus crucifixus, „& mortuus.*

„Sed aliud argumentum pro „gratia sufficienti omnium pro„ferri solet, quia Christus est „Redemptor omnium. Respon„detur, & hoc argumentum, „sicut omnia præcedentia, jam „olim ad nauseam usque a Pe„lagianis, præsertim Massilien„sibus, inculcatum fuit, ut mi„rum sit, recentiores tanto stu„dio trita hæreticorum arma „colligere, & absoleta recude„re. §. *respondetur.*

„*Ibidem.* Nec enim juxta do„ctrinam antiquorum, pro om„nibus omnino Christus passus, „aut mortuus est, aut pro om„nibus omnino tam generaliter „sanguinem fudit, cum hoc po„tius tanquam errorem a fide „Catholica abhorrentem do„ceant esse respuendum. §. *ex „quibus.*

Ibidem. „Pro istis (id est præ„destinatis) in æternum vivifi„candis mortuus est, pro istis

„ab omni malo liberandis roga-
„vit Patrem suum, non cæte-
„ris, qui a fide & charitate de-
„ficientes in iniquitate moriun-
„tur.„

„Ex cap. 20. respondent (i
„est Theologi) Deum vel
„omnes Salvos fieri, si ipsi ho
„mines velint, hoc est, si do
„vinæ gratiæ cooperari velint
„quod idem & alii dicere solent
„Deum omnes homines vel
„salvos fieri, quantum in ipse
„est. §. *quodsi.*

„Sed contra istam istius Apo
„stolici loci explicationem mul
„ta dici possunt, quibus pro
„betur, eam non esse genuinam
„imo contrariam divinæ gratiæ
„sinceritati. Nam primo, quo
„non exiguum isti interpreta
„tioni præjudicium facit, si
„explicuerunt eum hostes gra
„tiæ, Pelagiani & Semipela
„giani. §. *sed contra.*

„Ex cap. 21. lib. 3. Quæ si
„ne in Augustini doctrina per
„spicua certaque sint, nulla
„modo principiis ejus consen
„taneum est, Christum Domi
„num vel pro infidelium in in
„fidelitate morientium, vel pro
„justo

„juſtorum non perſeverantium „æterna Salute mortuum eſſe, „ſanguinem fudiſſe, ſemetipſum „redemptionem dediſſe, Patrem „oraſſe ſentiatur; ſcivit enim, „quo quisque jam ab æterno „prædeſtinatus erat, ſcivit hoc „decretum neque ullius pretii „oblatione mutandum eſſe, nec „ſeipſum velle mutare. §. *quæ „ſane.* „

Ibidem. „Nam illa extenſio „tam vaga modernorum ſcri„ptorum non alio ex capite, „quam ex illa generali & in„differenti voluntate Dei erga „Salutem omnium, & ex illa „ſufficientis gratiæ omnibus „conferendæ præparatione flu„xit; quorum utrumque Au„guſtinus, Proſper, Fulgentius, „& antiqua Eccleſia velut Ma„chinam a Semipelagianis in„troductam repudiavit. §. *quæ „ſane.*

„HÆC GENUINA JANSENII „DOCTRINA, comprobatur „tum ex iis, quæ docet lib. 10. „cap. 3. Cauſſam nempe repro„bationis maſſam damnationis „eſſe, ſive peccatum originale, „tum ex iis, quæ tradit cap. 3.

„paral. nimirum, propositum in
„Deo generale, totum genus
„humanum restaurandi, tradi-
„disse Massilienses, tanquam in-
„concussum suæ Sententiæ fun-
„damentum, & in hunc sen-
„sum Apostoli locum, qui vult
„omnes homines salvos fieri,
„detorsisse; atque Augustini sen-
„sum de solis prædestinatis, tan-
„quam nimis durum repudiasse
„ita nota 31. 32. 33. tum patet
„adhuc ex iis, quæ ponit lib. 3.
„cap. 21. Christum pro reprobis
„suum non obtulisse sanguinem,
„imo nec potuisse; quia contra
„decretum Dei immutabile, de
„reprobis ex perditionis massa
„non extrahendis, ipsi cogita-
„tum, orare non potuit.„

„Alia Jansenii loca pene in-
„numera notari possent, cum
„totus illius operis scopus sit,
„gratiam sufficientem, liberta-
„tis indifferentiam, volunta-
„tem antecedentem in Deo, &
„generalem salvandi omnes ho-
„mines, tanquam profana &
„hæretica Pelagianorum & Se-
„mipelagianorum dogmata pro-
„scribere. Sed prædicta loca an-
„notasse sufficiat.„

§. LXXIII.

Sæc. XVII.
A. C. 1655.

§. LXXXIII.

Georgius Foxus sectæ Quackerorum Author.

Croes. Hist. Quack. Lassen. Pomeran. Hist. sect. Quack.

Eo tempore, quo Angliæ Regnum non modo circa Politicum, sed & Ecclesiasticum Regimen sub Puritanorum & Oliverii Cronwelli dominatu turbulentissimis motibus jactabatur, novæ factiones & sectæ quamplurimæ velut ex Lernæa Hydra indies prodiere; cum enim omnium ingenia & animi Regiæ ac profanæ potestatis jura restringendi, corrigendi, & labefactandi libertatem iniquissimo hoc tempore sibi arrogarent, eadem quoque licentia receptam etiam religionem sub reformationis velamine, & singularis vocationis obtentu evertere, novamque ex cerebro suo fabricare cæperant: Ex his illo ævo præcipuus erat Georpius Foxus familia tenuis, opificio Sutor, Detrovii seu Bretonii Licestriensis Provinciæ oppido natus. Hic licet literarum omnino ignarus esset, sacras tamen Paginas adeo assidue pervolvebat, ut ejus familiares de illo dicere haud dubitarent, quod Biblia, si forent deperdita, in ore Foxi adhuc reperiri possent: cum ergo in S. literis plurimos offenderet textus, in quibus legitur, quod

Sæc. XVII. A.C. 1655.

fideles acceperint unctionem, & necesse non habeant, ut aliquis eos doceret, cum omnes sint docibiles Dei, & Deus segregarit eos ex utero Matris, & vocarit, ut revelarent Filium suum in se, ut evangelizarent illum &c. His aliisque textibus juxta privatum suum spiritum male intellectis errores suos firmari ratus, sectam fabricandi consilium cepit: ut vero novitatis in religione adeo exosæ calumniam declinaret, ad Lutheri imitationem suas doctrinas in sacris literis fundatas, & ab Apostolorum ævo nunquam interruptas exstitisse falso jactabat: Præterea ad conciliandam sibi singularis, Divinæque vocationis auctoritatem mentiebatur, se a Deo, cum in agro solitarius, ac nonnisi novennis cim annos natus deambularet, admonitum fuisse, ut, cum totum genus humanum in vanitatibus absumeretur, & proviter esset plectendum, ipse ex hac hominum colluvie segregatus vitam solitariam, atque a communi malo separatam ageret: querebatur etiam, quod Sathan magnum præconceptæ Reformationis opus maximis terroribus, & angustiis, quibus novum hunc Evangelistam ad desperationem usque conciaret, præpedire conatus sit, ipse vero apud Prædicantes opem solationemque quæsierit, hi tamen utpote nonnisi

Apoc. 21.
Isa. 2. 54.
Jerem. 31. v. 35.
Deuter. 30.
Joan. 6. 1. cap. 2.
Matth. 21. v. 10. 22.
1. ad Cor. 26. v. 10. 12.
ad Gal. 1.
ad Rom. 2. v. 6. 10.
ad Ephes. 5.

scian-

Sæc. XVII. A.C 1655.

ſcientia tumidi, fidem in ſola lingua habentes, & ſola mercede conducti operarii eidem ſatisfacere haud potuerint. Transegerat Foxus in hoc miſero ſtatu integrum ferme triennium; poſtquam vero ex lectione ac Scripturarum meditatione ac cæleſti lumine puritatem Evangelicæ doctrinæ ſe ubertim didiciſſe, ſeque a Deo ad prædicationis officium, necnon ad reformandos hominum mores vocatum crediderat, tandem anno hujus ſæculi quadrageſimo ſeptimo ad publicum Evangelici Doctoris ac Reformatoris munus proceſſit, confluente ad ipſum tanquam Virum a Deo ſelectum ingenti hominum multitudine: Deprædicabant illum ejus Sectatores velut magnum Apoſtolum, & glorioſum Dei inſtrumentum, Angli etiam novitatum cupidi, illum inter convulſiones & tremores concionantem in locis publicis & privatis, in viis & compitis, in urbibus, foro, & in Templis avidiſſime excipiebant, quapropter Foxus affluentis populi applauſu elatus, ac inde in ſuis deliriis obſtinatior majori adhuc audacia ad confirmandam miſſionem ſuam prædicationi inſiſtebat, cumque ſua commenta juxta verborum corticem claris ſacræ Scripturæ textibus firmare intentus eſſet, quamplurimi Lutherum

Sæc. XVII. A. C. 1655.

therum execrari, eumque insimulare cœperant, eoquod hic purioris fidei lumen accendisse mentitus, nequiter Ecclesiam densis tenebris involvisset. Patrocinabatur primo hisce Sectariis Cromwellus, quoniam e re sua fore existimabat ejusmodi homines in Regno severe, quorum animos, quocunque velet inclinare posset. Numerabat Foxum inter primos, præcipuosque assecla & in promovenda secta Operarios Jacobum Nailor Andersloviæ in Ebora-censi Provincia natum, qui sub Fairfaxio militem egit, atque a signis recedens, huic Phantatico socium se præbuit, & licet instigantibus Puritanis Exoniæ & alibi a Magistratibus virgis cæsus, severe fuisset castigatus obduratus tamen semper perstitit, ac-que ac ejus Magister, qui quamvis nu-vies sustinuisset captivitatem, atque a Prædicantibus, quorum Templa au-dacter ingressus, sæpe eos deturbabat, dire vexatus, eique lingua candente fe-ro perforata fuisset, imperterrita tamen fronte non modo per Angliam, sed & Scotiam, Hiberniam & Americam suos errores venditabat, donec tandem anno hujus sæculi nonagesimo primo Phantaticæ suæ sectæ immortuus periret. Reliquit præcipuos Asseclas Guilielmum Dewsburæum Lanarium, Richardum Hub-

Huberthornum militem, Georgium Withadum Prædicantem, Franciſcum Howigl Sartorem, Bourrughium ruſticum, Guilielmum Petri, plurimosque alios ejusdem furfuris homines: ex his Whiteokus hoc anno Londini Curiam accedens, evaginato gladio obvios quoque vulnerabat, captus vero ſe id ex Spiritus Sancti mandato egiſſe reſpondit, alius vero adverſus Protectorem, ejusque Parlamentum palam declamans, omnia edicta eſſe nulla pronuntiabat, paulopoſt alius ſeipſum inedia conſumpſit, eoquod in hoc fatali Anglici Regiminis ſtatu neceſſarium eſſe diceret, ut tota Natio per quadraginta dies ab omni alimento abſtineret.

Sæc. XVII. A.C. 1655.

§. LXXXIV.

Hujus Phantatici dogmata.

Quamvis Foxus totam pene religionem ſuam in triſti, & Enthuſiaſtico ſilentio & interna ſui ipſius recollectione ad percipiendas Spiritus ſancti motiones reponeret, præcipue tamen docuit quod. I. Scriptum Dei Verbum eſſet mortuum teſtimonium de Chriſto & illo lumine interno, quod in Homine eſt. II. Quilibet Homo in ſe habeat conſcientiæ lumen ſeu inſpirationem ſupernaturali-

Laſſen. l. c. p. 45. c. 6. Sianda Lex. Polon.

Sæc. XVII. A. C. 1655.

turaliter datam ad rite intelligendas Scripturas, & discernendum bonum a malo & obtinendam salutem. III. Hoc lumen omnia donet, proin extero Doctore non indigeat. IV. Per idem lumen Deus omni homini se manifestat, proin Prophetiæ non cessarint. V. Ecclesia seu cætus Dei consistat duntaxat ex fidelibus interno lumine illustratis. VI. Verbum & Spiritus, qui homines etiam non cooperanti & inscio dato impellat ad omne bonum, ne errare possint. VII. Anima sit Dei portus. VIII. Inutilia sint Sacramenta & orationes publicæ ad salutem, & unusquisque per suam propriam justitiam justificetur. IX. Extra hunc mundum nulla gloria sit exspectanda, & omnia sint communia. X. Nemo Dominus aut Magister vocetur, nec ullus super alium potestatem majorem habeat. XI. Nulla Religionis cæremonia sit adhibenda, & in civili consortio nec Regem salutandi, denique quoad Baptismum cum Anabaptistis conveniunt, vocantur autem Quackeri seu Trepidantes a voce Anglica *Schacker* seu membrorum tremore, qui passim in hujus sectæ affeclis vel in eorum conventibus vel alibi deprehenditur; jactitant enim se tremere præ Majestate Numinis Divini, quo irradiantur, hinc, quando in suis con-

ventibus ſuas Prophetias effundunt, tunc manibus, pedibusque contremiſcunt, ſpumam ex ore evomunt, & de Dei cognitione alii inter tremores loquuntur, alii horribili vocum confuſione ſimul cantant, ſeque a Deo ad loquendum ſpecialiter motos fingunt. Hanc vero tremendi conſuetudinem in religionem vertunt, eoquod in S. literis ſcriptum legeretur: *in timore & tremore operamini ſalutem*, *& alibi: tremens & ſtupens: timui & expavi: conturbata ſunt oſſa mea*, *exterritus ſum & tremebundus*, *cumque dixiſſet mihi ſermonem iſtum*, *ſteti tremens*, & denique Ezech. 12. v. 18. *Fili hominis*, *panem tuum in conturbatione comede &c.*

Sæc. XVII. A. C. 1655.

ad Hebr. 12.
Dan. 10.
Jerem. 23.
Pſal. 119.
Actor. 9.

§. LXXXV.

Chriſtianus Auguſtus Sulzbacenſis Princeps ad fidem Catholicam reverſus.

Eodem anno, quo Ludovicus XIV. Galliarum Rex omnes Hugonottas ab Officiis Aulæ ſuæ, ſuique Fratris promulgato decreto excluſerat, in Germania Lutherani nobiliſſimum ſectæ ſuæ fulcimentum amiſere; Chriſtianus enim Auguſtus Sultzbacenſis Princeps Palatinus Rheni Comes de Religionis ſuæ falſitate convictus, primo in ſua ditio-

Sæc. XVII. A. C. 1655.

ditione Calendarium Gregorianum observari jussit: postea Lutheranismo nuntium remisit, & unacum Serenissima Conjuge sua ex Rheingraviorum genere orta coram Archiepiscopo & Electore Moguntino die trigesima Decembris Guirceburgi fidem Catholicam palam professus est, non sine ingenti Catholicorum jubilo. Fertur, quod Sathanas, cum aliquot post annis Eychsfeldii ex Energumeno sacris exorcismis pelleretur, edixerit, Christianum Principem esse ejus Apostatam, eoquod suo obsequio & a fide Lutherana ad Catholicos transiisset: verum hujusmodi relationis fides sit penes Authorem Jacobum Hackium.

Norma fid. Hack.

§. LXXXVI.

Poloni a triplici hoste pressi.

Tuld. Hist. rer. l. 5. Priet. Annal. mund.

Cum Alexius Michelovicius magnus Moschoviæ Dux Polonicam ditionem hostili exercitu, jam anno prius invasisset, Carolus Gustavus Sueciæ Rex hujus inopinæ irruptionis opportunitatem in rem suam versa, hoc anno arma adversus Poloniæ Regem parabat, jactans novi belli obtentu, quod Casimirus æque ac olim Sigismundus Reges sese legitimos Sueciæ hæredes dicerent, nec tamen ipsa, quod oppressis Catholicis, Luthe-

Lutheranæ sectæ incrementa in hoc Regno promovere intenderet; satis enim aperte suum in Catholicos odium in Norimbergensi Conventu prodiderat, ubi inter epulas cum suis sæpius in Papæ excidium propinatis poculis potabat: Nihilominus studiose suum occultabat consilium, missisque ad Anglos, Lusitanos, Moschos, imo & ad Cæsarem Legatis, singulis significari voluit, ut a novo tanti belli apparatu nil sibi metuerent, eoquod duntaxat fines suos adversus hostium quorumvis pericula tutari intenderet; Imperator tamen, Bavarus, & alii Electores ac Principes Catholici, quamvis Suecum contra nuperæ pacis leges quicquam acturum haud sperarent, ne tamen ad subitam invasionem imparati essent, militum delectus haberi jusserunt. Paulopost Carolus Rex cum Moschoviæ Duce, contra quem ire simulabat, fœdus iniit: Hic autem inde animosior factus, Lithuanos a Mohiloviæ urbis obsidione repulit, iteratoque prælio fudit, ac Cosaccos Tartarosque sibi conjunxit, quorum ope suffultus, Smolenskum, Palatini socordia, necnon Viluam primariam Lithuaniæ urbem Radzevillii Gubernatoris, ut putabatur, ignavia & civium pusillanimitate, aliasque urbes cepit, totamque Lithuaniam qua late patet,

Sæc. XVII. A. C. 1655.

Sæc. XVII. A. C. 1655.

patet, ſanguine, incendiis, prædis & terrore implevit: Majoris mali periculo territus Joannes Caſimirus Rex, Varſoviæ comitia habuit, in quibus Proceres petebant, ut in Palatinum ob temere traditam urbem animadvertereturur, Ducalis Pruſſia præſidiario militi firmaretur, & ſi Carolus Guſtavus induciaſ cum Uladislao Rege cum Sueciæ Regina pactas violaturus eſſet, vi æquis viribus retunderetur, hanc que in rem Moſchi & Coſaki precibus & præmiis ad opem ferendam incitaretur. Præprimis vero Proteſtantes Lutheranæ ſectæ libertatem requirebant, quæ niſi mox concederetur, majora mala minitabantur. Poſtmodum Janus Radzevillius, ut impactam ſibi calumniam amoliretur, in Senatu de afflicto Lithuaniæ ſtatu perorans, ſexaginta vexilla Moſchis adempta præter ducentos quinquaginta captos adduxit, tandem militum convocatione Regi relicta, die vigeſima prima Junii comitiis finis imponebatur, exigua prorſus ſecundi ſucceſſus ſpe; eoquod in Proceribus potiſſimis privata diſſidia, aut diſcordia prævalerent, & Proteſtantium plerique Sueco adventanti obviam effundi, ſuasque res eidem ſectæ affinitate conjuncto dedere, quam Regis juſſa exequi mallent, etſi adhuc pudor, metuſque

tusque eos in officio paulisper continet. Jamjam die vigesima Julii Guittebergus Suecici exercitus Imperator, viam monstrante Rativæo Polono proditore, cum viginti suorum millibus in Poloniam penetraverat, positisque prope Hoffstettam castris, transmissoque Notessa flumine Polonos ad primum Suecorum conspectum profugos ad deditionem compulit, pactis hisce legibus. I. Christophorus Brinus Opalinscius Posnaniensis, & Andreas Grutzienscus Calissinus Palatini fidem suam mox Sueco Regi obstringerent, eidemque bonorum Ecclesiasticorum proventus, regiosque reditus & jura cederent. II. Posnaniam, Calissiam, Maserinum, aliasque commodiores urbes Suecus possideret. III. Quo quisque genere natus, vel qua religione imbutus fuerit, in ea relinqueretur. IV. Nemo ob religionem molestaretur, omnesque sua Templa & Scholas retinerent. V. In sæcularium Nobilium Domos milites non immitterentur, & transgressores severe plecterentur. VI. Suecus omne imperium in has Provincias exerceret, & violatis hisce legibus Poloni Regis bona in ærarium Sueco referrentur. His pactis die vigesima quinta ejusdem Mensis subscripsere Palatini, & Sueci uno quasi momento incruenta

Sæc. XVII. A.C. 1655.

Sæc. XVII. A. C. 1655.

prorsus felicitate ditionem quadraginta passuum millibus extensam sibi vendicarunt: insuperhabita autem pactorum fide Sueci Ecclesiasticorum prædiis milites imponebant, eosque illorum reditibus alebant: Guittæbergus quoque cum recente milite Posnaniam removit, cui ipsemet Rex Carolus traducto e Suecia in Pomeraniam exercitu prope Colum oppidum sese conjunxit, ubi Christophorus Præzimscius Polono Rege missus Orator, bellum deprecabatur, æquisque conditionibus pacem exorabat, hanc in rem aptum offerens locum, qui non plus duodecim leucis utrinque distaret: Hic Suecus ludificans respondit: *liberum vestrum Regem ad me veniendi molestia, ipse ego brevi illum conveniam.* Hoc contemptu irritatus Poloniæ Rex, uxore in Cracoviam dimissa, Proceres ad vindicandam injuriam, tuendamque patriam luculenta oratione incitabat. Suecus vero rapido armatæ felicitatis cursu die secunda Septembris Gnesnam urbem ultro apertam ingenti pompa ac triumpho ingrediebatur, nullo repugnante Varsoviam præcipuam Masoviæ urbem occupans prope Lovitiam Polonos post acre ac pertinax certamen fudit, trajectaque Vistula pluribus petitus urbibus, denuo Casimiri copiis

ad flumen Danajecium profligavit, ipsumque Regem per Hungariam in Silesian profugere compulit: inde Casimirus Leichnum Legatum ad Suecum decrevit, pacis conditiones oblaturum; quas tamen Carolus arroganti hoc responso dimisit: „indignum esse, ut Rex „Regno exutus de pace in suo exilio a„geret, potius Regiæ suæ fortunæ ob„livisceretur, cum Carolus jamjam Var„soviæ de Reipublicæ commodo in co„mitiis proxime celebrandis sine Casi„miro prospecturus esset:„ Demum Suecus Suessam oppidum, necnon Cracoviam die decima septima Octobris deditione cepit, inter conditiones in favorem Catholicæ Religionis firmata hac lege, ut *libertas Religionis Catholicæ Romanæ, ejusque Sacramentorum administratio, & pietatis illius publicum exercitium, in urbe Cracovia imperturbata, & plena permitteretur. Ecclesiæ, Paræciæ, Collegia, Monasteria, Conventus, Xenodochia, omnesque aliæ domus, quæ ab sacratis Deo viris aut mulieribus habitantur, inviolatæ permanerent, quæ non hospitio militum, non equorum stabulo, nisi id maxima & evidens protegendi urbem, conservandique necessitas imperet, designarentur, neque militibus prædæ darentur, sed cum omnibus hominibus, fortunisque eorum & suppellectile ab hostili direptione, injuriaque*

Sæc. XVII. A. C. 1655.

Sæc. XVII
A.C. 1655

arcerentur. Ecclesiasticis omnibus, tam sæcularibus, quam regularibus ex utroque sexu, sine ullius rei violatione ibi commorpacatis, ac liberis liceret; proventibus, privilegiis, villis, ac prædiis eos frui, gaudere paterentur. Cum hac additamento tamen, ut ipsi quiete vivant, ac debita cum obedientia, & fide in Regiam Sueciæ Majestatem animati sint; neque tumultus quidquam, aut contentionis contra Regem, Regiumque præsidium & regimen vel meditentur ipsi, vel exsequantur, neque moliantur aut exsequendum curent, sive publice, sive private id fieri possit. Si de fortunis, censibusque ac redditibus, similiter omnes laici alii, in Palatinatibus, & Provinciis vectigalium impositorum onera persolvant.

Interea Petrus Ivannovicius Moldorum Præfectus Lublinum opulentam Poloniæ minoris urbem ad deditionem compulit, & quamvis civibus, & Ecclesiasticis vitæ gratiam, liberam bonorum possessionem pollicitus esset, nihilominus violata pactorum fide Lublinenses pro redimenda urbis suæ ereptione ad gravissimas pecuniarum merciumque exactiones adegit, & Cosacci Hebræos in suburbiis latitantes ex improviso obruerunt, aliis obtruncatis, & non paucis in Synagoga exulibus postea arci ignem injecere, incendium vix non in urbem propagato: Exauctoratis

batur horrendus puerorum ploratus, & fœminarum ululatus, crudelique hoc ſpectaculo ad quatriduum protracto Templa flammis conſumpta, homines-que aſſati inter extrema dolorum extingui cernebantur: nec tamen adhuc ceſſatum a rabie; ſupererant enim adhuc Carmelitarum, Bernardinorum & Brigitinorum Cænobia, in quibus Religioſi obtruncati, Sanctimoniales aliæ raptæ, aliæ abſtractæ, pluresque a Coſaccis miſere interemptæ fuerunt. Inſuper poſtrema Novembris die Suecus Pruſſiam Regalem invaſit, captoque Stratioburgo Thorunium, Elbingam, Braunsbergam aliasque urbes eundo & redeundo intercepit, & potiſſimas partim civium metu, partim proditione in ſuam redegit poteſtatem: viciſſim vero, cum Coſackorum cladem a Tartaris in Ukrania illatam vindicare niteretur, hi Suecos adorti unaomnes internecione deleverunt, nequidem occiſorum cadaveribus parcentes. Enimvero Tartari parta hac victoria Polonis favere ſimularunt, crudelius tamen auxiliatores, quam ipſimet hoſtes deſæviebant: unde Caſimirus Rex omni ope deſtitutus, quovis pretio pacem redimere ſtatuit, ipſe etiam Imperator ad Suecum cum Polono reconciliandum omnes vires ſuas, incaſſum tamen, impendit.

Sæc. XVII. A. C. 1655.

Sæc. XVII.
A. C. 1655.

§. LXXXVII.
Gallorum victoriæ de Hispanis.

La Hode vie de Louis XIV. l. 18. Daniel Hist. de Franc. tom. 10.

Interim Bellum Gallos inter & Hispanos hoc item anno acriori quam antea, furore continuatum est, quamtumvis uterque Rex pro sua, suorumque tranquillitate honestam exoptaret pacem: cum vero Lotharingicæ copiæ potissimam partem ad Gallorum signa transirent, imo ipsemet Franciscus novus Lotharingiæ Dux cum toto exercitu Hispanas partes relinqueret, Galli ferme ubique adversus eosdem prospero Marte pugnabant, & quidem Contius Princeps capto Chierio Castillionem expugnavit, Hispanosque in Catalonia a Celsonæ Urbis obsidione repulit, & paulopost Vindocinensis Dux prope Barcinonem Hispanam classem disperſit: nec minus secunda belli sors Gallis in Flandria affulsit; postquam enim Turrenius Franciæ Marescallus cum triginta duobus armatorum millibus eo moverat, Landrecium post vigesimum quartum obsidionis diem deditione cepit, expugnatisque Condato & oppido sancti Gisleri Castelletum arte & natura munitam urbem iterato impetu in Regis sui potestatem redegit.

Ha

His successibus ad majora stimulatus juvenis Rex Ludovicus, die secunda Novembris cum Cronwello Angliæ Protectore armorum societatem adversus Hispanos pepigit, ea lege, ut Cronwellus Gallis sex armatorum millia suppeditaret, Rex vero Anglis Dunckerkam redderet, utque omnem minus sinceri fœderis suspicionem Anglis amoveret, Henrietam Caroli I. Angliæ Regis Viduam Regno natali unacum toto suo comitatu excedere jussit, quamvis ipsius Ludovici XIV. Galliarum Regis Matertera, Ludovici XIII. Soror, & Magni Henrici IV. Filia fuisset: insuper Franciæ Rex pollicebatur, quod Carolo II. ejusque Fratribus haud ultra asylum in Regno suo concedere velit. Ita ferme nulla Regii sanguinis ratio habetur, ubi vel imperii fines protendendi, vel æmulam potentiam opprimendi spes fovetur. Ceterum postea Gallis adversus Hispanos fortuna parum aspirare videbatur, quamvis enim Turrenius anno sequenti Capellam urbem recuperasset, a Valentiana tamen obsidione cum ingenti damno Galli repulsi, Condatum vicinum oppidum dedere cogebantur: etiam Quercetum amissuri, nisi Regis præsentia fuisset servatum: in Flandria tamen Galli Valentiam ad Padum post

Sæc. XVII. A. C. 1655.

Sæc. XVII. A. C. 1655 diuturnam obsidionem expugnarunt.

§. LXXXVIII.

Alexandri VII. Pontificis Maximi sollicitudo pro conciliandis Principibus Christianis.

Bull. magn. Constit. 1. Alex. VII.

Magis gloriosam, magisque Christiano nomini dignam victoriam reportabant hoc anno Veneti de Turcis quos ad Sestum & Abydum magna clade represserunt: nec tamen adeo copiosi erant hujus expeditionis fructus, ut Cretensem Insulam a tam truculento ac communi Christianæ Reipublicæ inimico liberandi firma spes esset, præcipue cum Catholici Principes inter se discordes cruentis bellis, ac copiosis Christiani sanguinis effusione se invicem depascerent. Ea res intimo doloris sensu paternum Alexandri VII. Pontificis animum laniabat, eapropter die decima quarta Maji solemnes Anni sacri gratias omnibus Christi Fidelibus indulsit, *ut sedatis inter Principes Orbis doxos dissensionibus, amissa pax Orbi Christiano restituatur.* Hunc in finem impense cunctos & singulos hortabatur, quatenus *Dominum Deum exorent, ut per viscera misericordiæ suæ fidem Catholicam protegere, ab hostium conatibus & insidiis defen-*

defendere, hæresin extirpare, & Principibus Christianis pacem, veramque concordiam donare dignetur; nec his contentus Pontifex, insuper omnes Patriarchas, Archiepiscopos, Præsules, Clericos, & singulos Christi fideles, ut ad Principum concordiam a Deo impetrandam suas preces interponerent, die vigesima Septembris excitabat, missis ad eos hisce literis Apostolicis.

Sæc. XVII. A. C. 1655.

VENERABILES FRATRES, dilecti Filii Salutem, & Apostolicam benedictionem. E summo Apostolatus fastigio Orbem universum, nostras videlicet curas, sollicite circumspicientibus Nobis, misera sane, luctuque plena se offert Christianæ Reipublicæ facies. Sortem enim Domini, atque ipsius hæreditatem, veris ejectis filiis, alieni sibi diripiunt. Gentes, quas pro Pontificia charitate in nostrum, hoc est, in veræ fidei sinum traducere, arctissimeque complecti voluissemus, hunc ipsum sinum dilaniare conantur, & ruptis maris, atque ultimis terrarum claustris in Christi gregem effunduntur. Male denique concordes Catholici Principes in seipsos feruntur, (& quæ olim extrema minatus est Deus inimicis nostris, atque iis, qui insurgunt adversum nos) se invicem depascuntur, & proprio sanguine, quasi musto inebriantur. Hæc eadem jam pridem cum tacite nobiscum doleremus, visum est ei, qui facit magna, & incom-

Sæc. XVII. A. C. 1655

incomprehensibilia, quorum non est numerus, invitos, trepidantesque vocare nos ad Ecclesiæ gubernacula, atque inclinare in nos onus immensum, humerisque quamvis submissimis formidandum. Testes autem maroris nostri sunt publicæ Supplicationes, quas ubi primum summo Pontificatui admoti sumus, universis indiximus. Testes literæ, quas ad charissimos filios, non solum Ferdinandum Hungariæ, & Bohemiæ Regem Illustrem, ac in Romanorum Imperatorem electum, *verum etiam ad utrumque* Regem *dedimus, & quas iterum cum importunissimum adversarium periclytæ Reipublicæ damna toti Europæ funera, ac vastitatem inferre meditantem videremus, magno cum animi dolore scripsimus, ut eos a mutuis discordiis in naturium hostem converteremus, & quas cum mittimus, eos admonentes, ut dum hinc interventu tantisper bellorum impetus repederit, ad pacem constituendam omni conatu atque opera incumbant. Testes hæc omnes unam dies, noctesque obversari animo solicitudinem, quoniam ad tanta, ac tam acerba mala sedanda, nulla nisi in communi concordia reliqua spes est, hanc omnium cordibus ac voluntatibus inserendi. Verum quia non hoc humanæ vires, aut terrena consilia moliri possunt, sed illius donum esse debet,* super quem est disciplina pacis nostræ, qui aufert spiritum Principum atque

atque increpat mare, & obmutescit; *quantum in vobis est*, Venerabiles Fratres, ac dilecti Filii, *non modo opera, studio, consilio, officiis, auctoritate vestra contendite, verum etiam in oratione, in lacrimis, in jejuniis, atque eleemosynis*, scindite corda vestra, arripite thuribulum, hoc est, *preces Sanctorum, & medii inter ignem & arsurum populum consistite. Vos qui statuti estis custodes* super muros Hierusalem, *noctu, atque interdiu* clamate, *atque estote cœlestis iræ, ac divinæ ultionis placamina:* Exinanite *calicem furoris & ruinæ*, calicem, pro quo potati sumus doloris & tribulationis *meracissimæ. Nobis quippe, quibus non prius, tuto creditas oves suas putavit Christus, nisi postquam iterum ac tertio de amoris magnitudine admoniti fuimus in Petro, quibus solis* Sanctuarium ingredi, *& ante altare populorum preces Deo repræsentare concessum est, sedulo elaborandum: ne irascatur Dominus, & dicat:* Quæsivi virum, qui interponeret Maceriem, & staret oppositus contra me pro terra, ne dissiparem eam, & non inveni, & effudi super eos indignationem. *Hoc enim habet divina ultio, ut tum maxime altissimus sit exorabilis, & ad lenitatem, clementiamque, hoc est, ad ingenium suum redeat, cum in brachio forti, & manu valida gladium exerat, ut feriat.* Sint pedes vestri

Sæc. XVII. A. C. 1655.

pedes

Sæc. XVII. A. C. 1655.

pedes Evangelizantium pacem, ut conterantur arcus, & sagittæ, atque imperet Deus ventis, & faciat tranquillitatem, *quam per vos præsertim assequi vehementer optamus, vobisque Apostolicam benedictionem permanenter impertimur.*

§. LXXXIX.

Aliæ Ejusdem Pontificis Constitutiones.

Hode in vita Lud. XIV. p. 307. t. 2. Nani Hist. Venet. l. 6. pag. 289.

Quantumvis Alexander VII. Papa non nisi ad magna natus Pontificatus sui initio suas curas, vires, potentiam, auctoritatemque in commune Ecclesiæ ac Regnorum commodum effundere crederetur, non deerant tamen, qui illum in minimis abundasse & in maximis defecisse arguerent: unde Romani pro solita sua convitiandi libidine Alexandrum hac satyra definiebant: *Minimus in Maximis, Maximus in Minimis.* Liberius quoque Joannes Baptista Nani de eodem refert, quod in primis Pontificatus sui auspiciis, „quicquid de illo divulgabatur, nil nisi insolitum, generosum, & magnum spirarit, animumque a carne & sanguine „alienum, inflexibilem ad omnia, quæ privatum commodum, & humanam imbecillitatem redolent, præsetulerit: celebrabatur ejus assiduitas in pervolvendis

„San-

„Sanctorum Pontificum Historiis: ver- Sæc. XVII.
„bo, audiebantur nil nisi voces antiqui A. C. 1655.
„sæculi dignissimæ, atque æternitatis
„opera: Verum ea est humana imbe-
„cillitas, ut non raro præcipue in Prin-
„cipatibus per electionem acquisitis,
„adorati Colossi luteis insistant pedibus,
„& ex privata vita ad Imperium ele-
„vati, adimpletis primis desideriis an-
„tiquas passiones ad animum revocent,
„necnon evaporatis propositis, ac con-
„siliis jam dudum mente conceptis spi-
„ritus langueat, & citato pede fervor
„in tepiditatem degeneret, ac denique
„gloriæ fama in contemptum vertatur.
„Sic quoque Alexander brevi in primo
„ardore refrigescens, & ab usitata Au-
„læ Romanæ aura, necnon a consul-
„toribus privati questus studiosis sedu-
„ctus, sese suorum consanguineorum
„potestati tradidit, privatumque com-
„modum cum publicæ utilitatis sollici-
„tudine combinari posse credidit, de-
„mum vero vana ædificia & superflua
„ornamenta erigendi purigine abreptus,
„omnem vastorum consiliorum suorum
„ambitum, ac Regiminis sui curam in-
„ter domus suæ angustias, & Romanæ
„Urbis mænia restrinxisse visus est.„
Ita ille de Alexandro, minus tamen
æquum fuisse illius judicium, testantur
præclara omnino facinora, quibus hic
Pon-

Sæc. XVII. A. C. 1655.

Pontifex nomen æterna memoria dignum sibi comparabat: non infimum quoque condignæ laudis argumentum suppeditant saluberrimæ ejus Constitutiones, quibus Ecclesiam, Clerumque ab omni vitiorum labe expurgare, novoque nitore exornare, indefesso studio intentus erat: ac præprimis hoc anno die quinta Julii decretum edidit contra Superiores Congregationis Celestinorum Ordinis S. Benedicti, qui favores extra suum Ordinem respicientes, officia, dignitates ac gratias concedunt, necnon contra eosdem Monachos, qui ejusmodi favores conquirunt: quoniam vero ejus Prædecessor Innocentius X. quosdam exiguos Religiosorum Conventus jurisdictioni Ordinariorum subjecerat, hinc varia inde exorta dubia sacræ Regularium Congregationi dissolvenda proponebantur, quæ etiam ab eodem Alexandro Papa die vigesima septima ejusdem Mensis fuere confirmata. Erant autem dubia sequentia. I. An possit Episcopus prædictis Conventibus amovere Religiosos?

II. An Regulares eorundem Conventuum compelli possint ab Episcopo ad exhibendos libros introitus, & exitus, & reddendas rationes administrationis?

III. An

III. An Episcopus in eisdem Conventibus se ingerere possit in his, quæ regularem disciplinam concernunt? Sæc. XVII. A. C. 1655.

IV. An Ecclesiæ dictorum Conventuum, & Capellæ Granciarum, in quibus degunt conversi pro agrorum cultura, ab Episcopo visitari possint?

V. An ipsæ Granciæ, & Conversi in eis degentes subsint visitationi Episcopi?

VI. Quid in Ecclesiis, seu Capellis Granciarum, in quibus nullus degit Conversus, an similiter subsint Episcopi visitationi?

VII. An jurisdictio Ordinariis locorum tanquam Sedis Apostolicæ Delegatis attributa in supradicto Decreto competat Vicariis generalibus Episcoporum, necnon Abbatibus, & aliis inferioribus Prælatis, proprium Territorium, ac jurisdictionem quasi Episcopalem habentibus?

VIII. An Provinciales, & alii Superiores Regulares possint ejusmodi Conventus jurisdictioni Ordinarii subjectos, & Religiosos in illis degentes visitare, corrigere, & punire, omnemque jurisdictionem in eos exercere, sicut poterant ante dictum Decretum?

Ad hæc dubia S. Congregatio affirmando respondit: dubitabatur insuper:

Sæc. XVII. A. C. 1655.

I. An Episcopus in Conventibus suæ jurisdictioni subjectis possit Abbates, Priores, Guardianos, & alios Superiores locales deputare, & familias constituere?

II. An liceat Episcopo visitare Conventus tam suppressos, & postea restitutos, quam non suppressos ad effectum cognoscendi, an in illis reipsa alantur sex Religiosi?

Id minime licere, responsum est antequam aliunde constet de fundamento Intentionis Episcopi in deficientis numeri constituti.

III. An Episcopus visitans hujusmodi Conventus suæ jurisdictioni subpositos, aut personas in eis degentes possit a visitatis procurationem exigere in victualibus, vel in pecunia?

℟. Expedire, ut Papa decernat, declaret, id non licere Episcopis.

IV. An Episcopus, si Superior Regularis in caussa prævenerit contra subditum degentem in ejusmodi conventu Ordinariis subjecto, fabricando processum, vel eum incarcerando, possit ejusmodi caussam reassumere, ac Superiori inhibere ℟. non posse, nisi ex ipsa caussa veluti cum videt Superiorem Regularem ex odio vel amore, cupiditate vel metu, aut ex nimia severitate, vel indulgentia quid durius, aut remissius con-

constituere, quam caussa deposcit, in quo ipsius Episcopi conscientia oneratur. Sæc. XVII. A. C. 1655.

V. Utrum, si e contrario Episcopus ita prævenerit, Superiori Regulari eo casu liceat talem Religiosum amovere, & ad alium Conventum mittere, & si miserit, an Episcopus possit caussam prosequi, & Religiosum amotum ad primum Conventum revocare ℟. non licere Superiori Regulari Religiosum ab Episcopo inquisitum a loco amovere, etsi amotus fuerit, posse Episcopum caussam prosequi, & illum quibuscunque remediis revocare, etiam invocato auxilio Ordinarii, & brachio sæculari, si opus fuerit, cujuscunque loci, in quo Religiosus ille reperiatur, nec etiam Episcopo integrum esse, prohibere, quin Superior localis aliquem ex tali Conventu removeat.

VI. An si a tali Conventu ex rationabili caussa unus vel plures ex sex Religiosis ibi degentibus absint, Restitutionis gratia sit nulla, & Conventus remaneat suppressus ℟. gratiam ob id non esse nullam, si absit fraus.

VII. An ab hujusmodi declaratione liceat Regularibus ad Sedem Apostolicam appellare &c. ℟. licere duntaxat ad effectum devolutivum, non suspensivum.

Sæc. XVII. A. C. 1655.

Præter hanc Constitutionem insuper Pontifex die vigesima quarta Septembris Conventum S. Mariæ de Victoria seu Seminarium S. Pauli Carmelitarum Discalceatorum Provinciali Romano adjudicavit, ita tamen, ut Seminarium necnon controversiarum, & linquarum Orientalium Professores ibidem degentes a Congregatione Cardinalium de Propaganda eligantur, & amoveantur, necnon ex reditibus ejusdem Seminarii per ejusdem Congregationis Ministros alantur. Denique idem Pontifex Privilegia Ordinis SS. Trinitatis, & ejusdem Confraternitatum die nona Decembris confirmavit.

§. XC.

Diversæ Sacrarum Congregationum decisiones.

Decis. S. Congr. Contil. Rit. &c.

Pari etiam sollicitudine pro conservanda Ecclesiæ disciplina, & eradicandis morum corruptelis desudabant sacræ Congregationes Romanæ, & quidem primo S. Concilii Congregatio die vigesima prima Maji decidit, quod dimissi, vel expulsi ab aliquibus Religionibus non admittantur ad Concursum, sive oppositionem pro obtinendis prebendis Pœnitentiariæ in Ecclesiis Cathedralibus Regnorum Castiliæ, & Legionis

gionis, ſine ſpeciali ſanctæ Sedis Apoſtolicæ diſpenſatione, dummodo non tempore probationis durante dimiſſi fuerint, ſed poſt Profeſſionem. Sæc. XVII. A. C. 1655.

Ejusdem quoque Congregationis Patres die nona Junii declararunt, quod Epiſcopus in Parochialibus Monachorum exemptorum Sacramentum Confirmationis adminiſtrare, invitis etiam Regularibus valeat: Ejusdem quoque Menſis die decima nona a Sacra Rituum Congregatione deciſum legimus, quod Sodalitati SS. Sacramenti competat præcedentia ſupra alias Confraternitates in omnibus ſupplicationibus, in quibus defertur SS. Sacramentum: occurrente etiam dubio circa quemdam in excommunicatione mortuum, Sacra Immunitatis Congregatio die decima tertia Septembris reſpondit, excommunicatum mortuum in forma judicii poſſe abſolvi, ſi pœnitentiæ ſigna dederit: abſolutio autem pro delicto non valde gravi privatim detur.

§. XCI.

Cromwelli odium in Catholicam Religionem.

Nondum Carolus II. Angliæ Rex omnem recuperandi ſceptri ſpem abjecerat; non pauci enim Regiæ digni- *Rapin Thoir. Hiſt. d' Angl. lib. 22.*

Sæc. XVII A. C. 1655.

tatis vindices variis in locis secret
inter se consultationes habebant, qu
ratione Cronwellus Anglici diadema
tis usurpator deprimi, & legitimus Re
in Britanniam reduci posset: Hi qu
que ineunte Mense Februario Carolu
Regem, qui tum Coloniæ unacum He
rico Fratre suo Gloceſtriæ Duce ea
agebat, datis literis hortabantur,
concubia nocte ex urbe discederet,
tatisque equis ad Angliæ fines prop
raret, quantocius a suis summo hono
in Regno recipiendus, si motus in
favorem concitati ad vota processisse
Verum Cronwellus solita sua versut
ac vigilantia cunctos conjuratorum co
natus detexerat, omnium, quæ in Ca
roli Aula gerebantur, haud ignarus
Manningus enim Regis Consiliari
clandestinum cum Thurlovio, que
Cronwellus ab epistolis habuit, fove
bat commercium, cunctaque Regiorum
consilia eidem manifestavit, qui tam
detecto dolo Coloniæ in Neoburgi
Ducis arce glande trajectus promerit
perfidiæ pœnas dedit. Igitur Carolu
Rex nec in suis, nec in Gallis repa
tam recuperandi solii spem ultra hab
bat, e contrario autem Cronwellus ma
jore indies auctoritate, Principumque
favore valebat, quapropter omni soli
citudine & metu solutus, necnon de

alieno, potentique auxilio certus, die duodecimo Februarii omnes Senatores adesse jussit, habitaque oratione eisdem varia objecit crimina, tandem in hæc verba perumpens: „Amplissimæ digni-„tatis meæ ministerio & jure fretus, „Senatu vos omnes moveo, Parlamento „vos exire jubeo; neque enim video „vos in hoc magistratu esse tolerabiles, „de cætero mihi, & concilii mei Se-„natoribus curæ erit, ne quid pertur-„bationis & motuum conjuratio detecta „conciliet.„

Sæc. XVII. A. C. 1655.

His dictis Parlamentum dissolvit, ejusque loco duodecim Viros, quos sibi addictissimos noverat, seligens, cum eis administrandæ Reipublicæ curam partiebatur: Horum suasu, proprioque impulsu motus, die quarta Maji statuit, ut sequens fidei professio ab omnibus Anglis emitteretur, solemni juramento firmanda: *Ego N. juramento, & sincera fide profiteor, nihil authoritatis, nihil juris in Ecclesiam Catholicam, nec generatim nec speciatim Romano Pontifici competere, aut esse.* Deinde, *sancte affirmo, atque indubitate pronuntio: Consecratam Hostiam, quicunque hominum, aut Sacrificulorum eam tandem consecraverit, nihil amplius post consecrationem, quam ante consecrandum obtinere, id est, manere perpetuo ut prius, ita posterius panis substantiam, nec*

Sæc. XVII. A. C. 1655

aliud quicquam esse. Tertio: *Indubitato credo atque profiteor, neminem prorsus exstare mortalium, qui bonis operibus æternæ Salutis præmia mereatur, ad hæc enim adipiscenda sufficit, animo recolere, ac unum amantissimum nostrum Dominum Christum suis cruciatibus ac morte de omnibus peccatis nostris Deo Parenti satisfecisse.* Quarto: *Jurejurando affirmo: Nullius in Cælo Sanctorum pro nobis postulationes aut preces ulli hominum Saluti, aut subsidio esse possint. Neque illorum imagines aut statuas in honore & cultu aliquo habendas; quas si honoraremus, Idololatræ efficeremur; nam enim id venerationis genus juvare nos quicquam potest.* Quinto: *Juro & in hanc sententiam: Purgatorium ignem, qui peccata deleat, nusquam exsistere. Nec ullo quoquam locorum immigrare solutum corpore Spiritum, quam alterutro de his duobus, inferno & cælo.*

Hæc in Romanæ Ecclesiæ ac Religionis odium, necnon Synodi Tridentinæ contemptum decreta mox ubique fuere in Regno promulgata, & a Puritanis Prædicantibus in usum deducta: his quoque additum, ut qui hanc formulam juramento firmare detrectaverint, tanquam de conjuratione suspecti in carceres trudantur: insuper Provinciarum Rectoribus datum est negotium, ut nulla mora in eos inquirerent, & anim-

animadverterent, qui vel Reipublicæ novæ normam cavillari, vel Regiæ parti favere crederentur: cum igitur Saresburiæ quinque nobilissimi Viri, adversus Cronwelli usurpationem declamasse insimularentur, mox exquisitis tormentis misere cruciabantur, nec tamen a sua sententia amoti, jumentorum caudis alligati per compita & vicos aliquamdiu raptabantur, tandem vero e collo in patibulo suspensi, raptimque funibus resectis semianimes demissi, a quatuor in diversa agitatis equis crudelem in modum discerpti fuerunt: alii etiam octo, eoquod Caroli Regis honorem tueri crederentur, suspendio vitam finiere.

Sæc. XVII. A. C. 1655.

§. XCII.

Concordiæ pacta inter Sabaudiæ Ducem, & Pedemontanos Calvinistas.

Cum Calvinistæ Vallium Pedemontanarum incolæ ad tredecim ferme suorum millia excrevissent, publicumque Religionis suæ exercitium contra Sabaudici Regni leges petulantius deposcerent, Sabaudi Ducis Vidua haud immerito tumultum sub Religionis obtentu conflandum verita, necnon Hugonotarum in Galliis exemplo territa

Hotting. hist. Helvet. l. 7. Tuld. l. c. La Hode vie de Louis XIV. l. 18.

Sæc. XVII. A. C. 1655. Calviniſtas in S. Martini, Lucernenſi, & Peruſina Vallibus & alibi degentes compeſcere ſtatuit, eisque per Galſaldum Auditorem denuntiari juſſit, ut intra triduum vel ſuis vallibus excederent, Bobium, & Angrogniam transmigraturi, vel fidem Catholicam amplecterentur. Hi vero, ac præcipue trium præfatarum vallium incolæ, aliique ſectæ ſimilitudine eis conjuncti arma adverſus legitimum ſuum Principem ac Ducem ſumere haud erubuerunt: nec his contenti, Calviniſtas Gallos ad armorum ſocietatem incitabant, opemque Cronwelli Angliæ Protectoris implorabant, exponentes, quod multa de inhumana a Catholicis paterentur, non alia ex culpa, niſi quod purioris Evangelii cauſſam deſerere nollent. Cronwellus igitur, ut novum ſuæ pietatis ſeu potius hypocriſis ſpecimen daret, in univerſo Angliæ Regno pecunias colligi, feſtamque diem pro implorando Dei auxilio contra veræ Religionis hoſtes haberi juſſit, ſimulque Francie Regi vallium illarum patrocinium minacibus etiam literis commendavit, ſignificans, ſe nunquam cum illo pacem firmaturum, niſi quantocius Sabaudiæ Ducis inhumanitati contra ejus ſubditos obviam eatur: Has minas diſſimulandas exiſtimavit Mazarinus Cardinalis,

lis, Vir majoris, quam Romanæ Purpuræ dignitas depoſceret, tolerantiæ: Ejus igitur ſuaſu Ludovicus Rex Servientium Legatum ad Sabaudiæ Ducem decrevit, qui hoſce motus componere ſatageret. Die igitur decima nona Auguſti ſequentes concordiæ leges Pinarolii fuerunt promulgatæ. I. Sectæ libertas ceteraque privilegia anno hujus ſæculi quadrageſimo tertio Vallenſibus indulta confirmentur. II. Revocatis ſententiis in quosdam reos pronuntiatis, præteritorum criminum venia detur. III. Suas domos & poſſeſſiones, quas cis Pelicen fluvium, aut Luſernæ poſſederunt, relinquant, & Catholicis vendant, pretium tamen eorum a Sabaudo Duce recipiant. IV. Integrum ſit hiſce Calviniſtis, in cunctis Ducatus locis, negotiari, vendere & emere, nullas tamen poſſeſſiones immobiles acquirere. V. A nullo Magiſtratu in eos ob ſectam inquiratur, dummodo nullibi præter loca eis aſſignata, domicilium figant, vel potiſſimam anni partem reſideant. VI. Nullus Calviniſta ad Religionem Catholicam vel audiendum ſacrum, aut ad Sacerdotes alendos, vel ad Eccleſiarum ornatum quicquam conferre cogatur, & eorum infantes, & quidem maſculi ante duodecimum, & fœminæ ante decimum æta-

Sæc. XVII. A.C. 1655.

Sæc. XVII. A.C. 1655.

ætatis annum, a parentibus non abstrahantur. VII. Illi, qui eorum sectam durantibus hisce motibus ejurarunt, pro apostatis non habeantur, etsi ad suam sectam revertantur. VIII. Calvinistarum ædes & fundi intra hos motus destructi, atque ærario addicti restituantur, reservata tamen portione ad Catholicorum Ecclesiam ibidem construendam sufficiente. IX. Prædicantes criminum rei sicut ceteri sæculares dijudicentur, nec deinceps in prima instantia coram supremis Magistratibus recipientur. X. Integrum sit cuilibet Catholico tam in Judicio quam alibi denuntiare quemlibet Calvinistam de crimine suspectum. XI. Ad quinquennium Calvinistæ ob illata damna a tributis eximantur, ita ut primo triennio nil, reliquis vero duobus annis in obsequii signum exiguam summam persolvant. Verum hæc Ducis indulgentia obstinatos hosce Sectarios nequaquam ad sincerum obsequium revocare poterat.

§. XCIII.

Petrus Aloysius Carafa Cardinalis mortuus.

Ciacon. in vit. Innoc. X.

Vix sacra comitia, in quibus Alexander VII. in Pontificem Maximum erat

erat renuntiatus, initium ſumpſere, cum Petrus Aloyſius Carafa Apoplexia tactus in Vaticano Palatio occumberet. Hic ex illuſtriſſima Caraſarum familia natus, ſexto ætatis anno Neapoli Venetias translatus eſt, ibique ſesquianum apud Cæſarem Caraſam Patruum ſuum ſupremum Venetæ militiæ Præfectum morabatur: inde a Parente ſuo Romam miſſus, ibidem Philoſophiæ, Theologiæ & Jurisprudentiæ operam dabat, Doctoratus lauream emeritus: cum igitur hic juvenis per aliquot annos ingenii ſui præſtantia, eruditionis varietate, ſingulari juris peritia, ac inprimis pietatis fervore ſeſe Paulo V. egregie commendaſſet, ab eodem utriusque, ut vocant, Signaturæ Referendarius & Ferrarienſis Pro-Legatus & a Gregorio XV. Firmanæ Urbis Prætor, ac denique ab Urbano VIII. Tricaricenſis Epiſcopus & Colonienſis Legatus renuntiabatur, quo in munere multa, præclaraque Eccleſiæ obſequia præſtitit; cum enim Nuntii atque Apoſtolici Viſitatoris auctoritate polleret, Leodienſem Diæceſin inviſit, & Fuldenſem Abbatiam ad priſtinum vitæ Regularis ſplendorem & Bullioneum Ducem a Calvini erroribus ad fidem Catholicam reduxit. Conſumptis in operoſa hac legatione undecim annis, ad ſuam Eccleſiam

Sæc. XVII. A. C. 1655.

Sæc. XVII. A. C. 1655.

clesiam reversus, illam variis ædificiis & ornamentis, novoque Seminario auxit, suisque Canonicis suoque Clero in quotidianas distributiones duo aureorum millia addidit: Tandem in laboris præmium ab Innocentio X. Purpura Romana decoratus, pluribusque S. Congregationibus præpositus, eruditionem viresque suas in Ecclesiæ utilitatem, & pauperum solamen egregie impendit. Evolutis aliquot Mensibus ab eodem Pontifice ad Bononiensem Legationem evocabatur, quam tamen nonnisi unius anni spatio administrabat, a Papa, ut tanti Præsulis incolumitati consuleret, Romam revocatus, ubi Innocentio superstes, conclave ingressus est, in quo quidem plurium Cardinalium suffragia in eum conspirabant, sui tamen electionem repentina mors prævertit, die decima quinta Februarii anno ætatis suæ septuagesimo quarto fatis functus.

§. XCIV.

Francisci Peretti Cardinalis obitus.

Silos Hist. Cler. Reg. pag. 3.

Eodem anno decessit Franciscus Perettus Montaltus patria Romanus, Sixti V. Pronepos, qui Philosophicis, ac Theologicis scientiis excultus, ab Urbano VIII. Papa juvenis adhuc Cardinalium Collegio adscriptus est. Præsulat poste-

postmodum Archiepiscopus Montis Regalis Ecclesiæ, cujus curam summo studio gessit, atque ad corrigendos Ecclesiasticorum, populique mores Synodum celebravit, Templumque Divi Andreæ Clericorum Regularium suis sumptibus restauravit. Interfuit Innocentii X. & Alexandri VII. comitiis, quibus finitis in gravem morbum incidens, die tertia Maji annos natus quinquaginta quinque Romæ e vita migravit, sepultus ad S. Mariam Majorem in sacello gentilitio, quod olim Sixtus V. Papa erexerat.

Sæc. XVII. A. C. 1655.

§. XCV.

Francisci Adriani Cebæ Cardinalis extrema.

Hunc pari fato sequebatur Franciscus Adrianus Ceba Pedemontanus, qui ab Urbano VIII. intimus Pontificii cubiculi Minister, ac libellorum supplicum Præfectus renuntiabatur, quæ omnia munia non sine magna prudentiæ ac integritatis laude obibat, quocirca non modo ad Ludovicum XIII. Galliarum Regem pro pace Christianos inter Principes restauranda Nuntius in Franciam decernebatur, sed etiam in laboris, meritique præmium ab eodem Pontifice sacra Purpura honoratus est: Obiit tan-

Ciacon. in vita Urban. VIII.

Sæc. XVII. A. C. 1655. tandem die duodecima Octobris, sepultus in Lateranensi Basilica, cujus olim Canonicus erat. Vixerat admodum parce, unde ingentem auri argentique vim congessit, quorum hæredem scripsit unum ex suis, lite autem exin orta, potiorem hæreditatis partem Advocatorum rapacitas absumpsit, consueta sordidæ parsimoniæ fato.

§. XCVI.

Alphonsi de la Cueva Cardinalis decessus.

Ciac. in vita Greg. XV. Postremus ex Purpuratis hoc anno defunctis erat Alphonsus de la Cueva natione Hispanus, qui Ordinis militaris de Alcantara Religiosus, apud Genuenses & Venetos Hispani Oratoris munere tanto cum encomio fungebatur, ut urgente Philippo III. Hispaniarum Rege a Gregorio XV. Papa sacro Cardinalium Collegio aggregatus, in Belgium ad Isabellam Gubernatricem decerneretur: inde vero Romam revectus, sacrisque Congregationibus præfectus, occurrentium caussarum merita singulari eruditione ac prudentia utrique expofuit, pro sua tamen, qua eminuit, modestia nunquam sententiam proferre voluit: Ceterum celebre etiam erat ipsius nomen ob raram memoriæ fidem-

fidelitatem, ingenii ad omnia quoque imparata aptissimi aciem, & munificentiam in omnes: Cum vero inter Cardinales ætatis ordine jam quartus esset, ab Innocentio X. Prænestinam, atque septimo post anno ad Hispani Regis nominationem Malacitanam Ecclesiam obtinuit, ad quam cum octogenario major iter aggrederetur, biennio post ibidem die decima Augusti animam Deo reddidit, postquam ætatis suæ annum octogesimum tertium, Cardinalatus vero trigesimum tertium expleverat.

Sæc. XVII. A. C. 1655.

§. XCVII.

Eleonoræ Imperatricis mors.

Habebantur rursus Posonii hoc anno solemnia Hungarici Regni comitia, in quibus, Imperatore, ejusque Conjuge Eleonora & Filio Leopoldo præsentibus, Proceres Acatholici Jesuitas Regno expelli, Protestantibus quadringenta Templa cedi, liberum mercium suarum commercium indulgeri, Regnique fines extendi, ac contra Turcas defendi postulabant: petulantius quoque a Cæsare, cur ob sectam proscriptis in patriam redeundi veniam denegaret, declarari petebant, adhita etiam comminatione, se Eleonoræ & Leo-

Orthel. chron. cont. pag. 170.

Sæc. XVII. A C. 1655.

poldi inaugurationibus minime assensu-
ros, nisi prius eorum postulatis plene
satisfactum fuisset. Cedendum erat
illorum importunitati, & quamvis Stri-
goniensis Archiepiscopus, & Franciscus
Comes de Wesseleny Neo-electus Hun-
gariæ Palatinus vehementer reclamas-
sent, Cæsar tamen transactionem anno
hujus sæculi quadragesimo septimo cum
Protestantibus initam confirmare coge-
batur: quo facto die decima sexta Ju-
nii Eleonora, ac undecimo post die
Leopoldus in Hungariæ Reges solemni
pompa in Ecclesia S. Martini ab Archi-
episcopo Strigoniensi coronati, unctiq-
que fuerunt. Peracta hac festivitate
Imperator ac Leopoldus die quarto
Julii Posonio Viennam proficiscebantur,
ut ibidem anniversarium Ferdinandi II.
defuncti Regis diem, necnon exequias
celebrarent Viduæ Imperatricis Ele-
noræ Mantuanæ, quæ Ferdinando II.
Imperatori secundo conjugio nupta, eo-
dem die, qua Leopoldus Hungarici
Regni insignia receperat, Viennæ ex-
tremum clauserat diem. Hæc Prin-
ceps erat omni virtutum genere, &
singulari continentiæ Studio excultissi-
ma, quæ post Mariti sui obitum, cum
nullas unquam suscepisset proles, omi-
nem terrenarum rerum curam in suos
Domesticos conjecit, ac unice pietatem
exer-

exercitiis addicta reliquos vitæ suæ dies soli Deo consecrabat. Sepulta quiescit Viennæ in Theresianarum Virginum Monasterio a se An. 1629. constructo. Sæc. XVII. A. C. 1655.

§. XCVIII.

Quidam Scriptores Catholici hoc anno defuncti.

Hunc pariter annum vitæ suæ exitialem habuere Catholicorum Scriptorum nonnulli, quorum opera recensemus, & primo quidem Antonius Leoncillus Fermoliensis Episcopus scripsit tractatum de privilegiis pauperum. II. Richardus Smithæus Chalcedonensis Episcopus, qui edidit responsionem ad belli provocationem & prudentialem trutinam Religionis, necnon septem libros; quos inscripsit; *Flores Historiæ Ecclesiasticæ gentis Anglorum* præter duo volumina, in quibus doctrinam Catholicorum & Protestantium contulit: Decessit die octavo Martii annos natus octoginta octo. De hujus Viri fato, & exantlatis, dum in Anglia Papæ Delegatum ageret, vexationibus, jam supra egimus. III. Antonius Colluraſi elucubravit ideam Nobilis Veneti, tractatum de prudentia Regali, & de tumultu plebis Panormitanæ præter alia nonnulla. IV. Petrus Jarrigius, quon-

Jacobil. Bibl. Umbr. Aleg. Script. S. J. Witte Diar.

Vid. l. 196 §. 88. t. 58. pag. 638.

Sæc. XVII. A. C. 1655.

dam Jesuita, qui tamen durius a suo Superiore habitus, Societatem, fidemque Catholicam Rupellis anno hujus sæculi quadragesimo septimo ejuravit, ad Batavos transfugus, cum autem impellentibus Jesuitis ad laqueum, regumque damnatus, & a P. Jacobo Beaufezio Jesuita suo libro *de impietatibus & Sacrilegiis Jarrigii* acriter reprehensus fuisset, vindictæ stimulis incitatus librum, cui titulus: *Jesuitæ in servi pegmate constituti* edidit, in quo horrenda scelera contra eos retulit, anno autem millesimo sexcentesimo quinquagesimo Antverpiæ ad fidem Catholicam reversus, in alio libro ingenue fassus est, se duntaxat ultionis studio ad Protestantes defecisse. IV. Hyacinthus de Rugeriis Ord. FF. Præd. scripsit defensorium doctrinæ D. Thomæ, & summam Theologiæ ejusdem Doctoris. V. Joannes Thomas Gastaldi ex eodem ordine posteris reliquit Symboli Apostolici dilucidationes ex D. Thoma, & tractatum de potentia motrice Angelorum & dæmonum præter commentaria in primam partem summæ Angelicæ. VI. Josephus ab Incarnatione Carmelita Excalceatus conscripsit Annum Theresianum & librum, cui titulus: *Honor debitus decretis S. Inquisitionis contra eos, qui ea nec admittunt, nec observant.*

§. XCIX.

Sæc. XVII.
A.C. 1655.

§. XCIX.

Scriptorum Acatholicorum obitus & opera.

Ex Scriptoribus Heterodoxis, qui hoc anno obiere, celebriores sunt. I. David Blondellus, qui scripsit modestam declarationem de sinceritate & veritate Ecclesiarum Reformatarum contra Episcopum Luconiensem & alios, tractatum adversus spurias Isidori Decretales, epistolam de necessitate Pontificiæ potestatis, dilucidationem controversiæ circa Eucharistiam, de Primatu in Ecclesia, de Sybillis, apologiam pro sententia S. Hieronymi de Presbyteris & Episcopis, acta authentica Ecclesiarum Reformatarum præter plura alia, denique elucubravit tractatum, in quo cuncta, quæ de Joanna Papissa referuntur, putita esse mendacia demonstravit. II. Jacobus Usserius, qui a P. Henrico Fiz-Symonds ad disputandum invitatus, condixit quidem, nunquam tamen comparuit, caussatus, se a suis Superioribus veniam non obtinuisse: Haud tamen dissimulanda est pudenda Thomæ Smithi temeritas, qua non modo Spiritum Propheticum Usserio attribuit, sed etiam in Roeckwodum Jesuitam retorsit, perinde ac si

Niceron erud. Vir. t. 8. p. 75. Smith. vit. Usser. p. 52.

Sæc. XVII. A. C. 1655

ipse ad impugnandos Anglicanæ sectæ articulos provocatus, in arenam ultro descendere noluisset, sub prætextu, quod *argumenta, quibus inter opponendum usurus esset, justo Dei judicio e memoria sibi penitus excidissent, eoquod cum Viro tam profundæ & consummatæ eruditionis injussu Superiorum congredi ausus fuisset.* Effrons mendacium! dignum infami patella operculum! Ceterum Usserius inter plura alia edidit quæstiones de Christianarum Ecclesiarum continua successione, librum de religione veterum Hibernorum, & Britonum, Annales V. & N. Testamenti, Syntagma de septuaginta interpretum versione, Historiam Godeschalci, de Episcoporum, & Metropolitarum origine, de Symbolo Apostolico, præter chronologiam sacram, & Historiam dogmaticam controversiæ de Scripturis &c. II. Michael Calertus posteritati reliquit disputationes de discrimine legis & Evangelii contra Pontificios, & conciones de pace. IV. Magnus Matthiæ scripsit Collegium ethicum, methodicam S. Scripturæ loca vindicandi rationem, Theologiam typicam, Explanationem in Psalmum quadragesimum quintum, Analysin Evangelii Matthæi, antithesis Biblicas, Collegium Antiphonitanum, pluraque alia. V. Laurentius Mar-

Martini publici juris fecit tractatus de spirituali inter Christum & Ecclesiam conjugio, de bonis operibus, de Sanctorum invocatione, & de Persona & invocatione Christi, necnon de fidei principio, & de Sacramentis. VI. Joannes Tobias Major edidit Exegemata locorum difficilium in Actis Apostolorum, commentationes super epistolam ad Hebræos, dissertationem Hugoni Grotio oppositam de oratione pro defunctis, & Apologeticum contra Valerianum Magnum.

Sæc. XVII. A. C. 1655.

§. C.

Synodi Monasteriensis decreta.

Hoc item anno Christophorus Bernardus a Galen Monasteriensis Episcopus, cum ob funestas belli reliquias Synodum suam debita solemnitate celebrare præpediretur, die octava Martii epistolam encyclicam ad Clerum suum transmisit, inter alia eundem hortatus, ut populum sibi commissum a peccato detractionis, & murmurationis contra suos a Deo præstitutos Superiores deterrere adlaborarent; adhuc enim fervebant adversus hunc Episcopum inveterata Malincrotii Decani, eique adhærentium dissidia, ut supra meminimus. Tandem tranquillitate nonnihil resti-

Hartzh. Conc. Germ. tom. 9.

Vid. p. 172.

Sæc. XVII. A. C. 1655.

restituta idem Episcopus die duodecima Octobris Diœcesanam habuit Synodum, in qua innovatis Prædecessorum suorum statutis decrevit, ut Sacerdotes rem Divinam peragentes a nimia præcipitantia æque ac morositate abstineant, cum illa scandalum, hæc fastidium parerent: Statuit quoque illos, qui signis vel artibus Diabolicis contra vulnera utuntur, non esse absolvendos, nisi signa hæc a se rejecerint: severe etiam illos Parochos puniri voluit, qui proles illegitimas, eoquod de vero Patre adhuc litigetur, proin jura stolæ non statim solvantur, baptizare renuunt, maxime si hæ sine Baptismo decederent. Prohibuit insuper, ne post sumptam S. Synaxin Laicis ablutio detur ex Calice etiam non consecrato, ut rudibus quævis ad utriusque speciei sumptionem reflexio tollatur, jussit quoque, ut Sedilia vel nimis alta, vel nimis propinqua, quibus celebrantes vel turbari, vel assistentes a prospectu aræ aram præpediri possent, tollantur, & populus sedulo moneatur, ne se per confictas Spirituum apparitiones a perversis hominibus seduci permittant. Præterea nomina eorum notari præcepit, qui sine extrema unctione decedunt, ut culpabiles corrigi valeant. Denique monuit Regularium Superiores, ut

ut pro colligendis eleemosynis Viros doctos, probos, sobrios & modestos designent, qui temporalia spiritualibus compensare possint & valeant. Statuerat equidem hic Episcopus Synodum anno sequenti celebrare, cum autem grassante per urbem lue prohiberetur, tres epistolas Pastorales ad suum Clerum, populumque transmisit.

Sæc. XVII. A. C. 1656.

§. CI.

Cleri Gallicani comitia in caussa Jansenii.

Ineunte hujus sæculi anno quinquagesimo sexto Clerus Gallicanus Parisiis generalia, ut vocant, comitia ad prosequendam Jansenii caussam celebrabat. Erant illa prioribus, utpote nonnisi particularibus longe magis solemnia, majorisque auctoritatis ac ponderis, speciemque Synodi Nationalis præseferebant, eoquod quadraginta Episcopi & viginti septem reliquorum Præsulum absentium Deputati eo confluxissent. Hi ergo pro ea, qua semper pollebant, sacras caussas pertractandi potestate, cuncta, quæ circa Jansenii propositiones & Arnaldi epistolam tam in tribus præcedentibus comitiis, quam in Conventu Sorbonico decreta fuere, communi calculo approbarunt. Postea

Hist. des cinq. Prop. Argentre Coll. Jud. t. 8. p. 74. Abrege chron. t. 3.

Sæc. XVII. A. C. 1656.

mentem suam circa Jansenistarum effugium quoad quæstionem facti declarantes, quamvis casus, in quibus Ecclesia circa ejusmodi facta fallibilis vel infallibilis est, sigillatim explicare noluerint, generatim tamen professi sunt, Ecclesiam falli posse circa caussas privatas & personales coram Papis & Conciliis agitatas, minime vero circa quæstiones facti, quod separari nequit a fidei doctrinis aut generalibus Ecclesiæ moribus, in sacra Pagina, cujus interpretatio a traditione Catholica & uniformi Patrum testimonio dependet fundatis „Hæc enim traditio, uti addebant Præsules, quæ consistit in factis, „ab Ecclesia cum eadem, qua de fide „judicat, infallibili auctoritate est declarata, secus omnes Christianæ veritates dubio ac incertitudini essent expositæ.„ Hac declaratione Clerus Gallicanus nequaquam intenderat, quod ante Ecclesiæ definitionem ex seipsis hæ duæ propositiones: *quinque propositiones continent doctrinam hæreticam, & hæc doctrina continetur in libro Jansenii*, non sint separabiles, quod ab Ecclesia non potuerint separari, & quod prima vera, altera falsa esse possit, sed quod hæ duæ quæstiones, postquam Ecclesia secundam propositionem primæ necessario conjunxit, secunda a prima inseparabiles

separabilis sit. Id Clerus Gallicanus demonstratum ibat ex ipsis Jansenistarum verbis; hi enim Bullæ Innocentianæ Defensoribus, ut Jansenii damnationi involutam probarent Augustinianæ Doctrinæ damnationem, hoc utebantur argumento: *minime dubium est, quod dum Ecclesia S. Augustini doctrinam de gratia approbavit, in judicio de illius sensu non erraverit, igitur S. Augustini doctrina exin necessario facta est doctrina Ecclesiæ* proin quæstio facti haud amplius est separabilis a quæstione juris: si ergo, inferebat Clerus, facti quæstio: *an Ecclesiæ doctrina circa gratiam sit contenta* in libris S. Augustini post Ecclesiæ & Pontificum definitionem non est separabilis ab hac quæstione juris: *utrum doctrina in S. Augustini libris contineat doctrinam Ecclesiæ*, proin hæc Ecclesiæ & Pontificum definitio: *tales vel tales doctrinæ ex S. Augustino excerptæ continent doctrinam Ecclesiæ* tam quoad quæstionem facti quam juris fide Divina credenda sit, eadem etiam firmitate credere oporteat hanc Ecclesiæ & Innocentii definitionem: *doctrina Jansenii contenta in quinque propositionibus est doctrina hæretica*, cum non minus certum sit, quod Ecclesia in judicio de Jansenii sensu non erraverit, quam quod non errarit in intelligentia sensus S. Augustini.

Sæc. XVII. A. C. 1656.

Sæc. XVII. A. C. 1656.

ſtini. Non deerant tamen Janſeniſtis conſueta ſua effugia.

§ CII.

Cleri Gallicani epiſtola ad Alexandrum VII. Papam.

Deliberat. du Clerge p. 23. & 82.

Facta hac declaratione generalis Congregatio Cleri Gallicani die ſecunda Septembris ad Alexandrum VII. Papam ſequentes dedit literas:

Beatiſſime Pater!

„Non obſcura ſunt Divini Numinis „conſilia, cur Beatitudinem Veſtram „ad Epiſcopatus apicem, id eſt, ad „Apoſtolicæ Sedis Principatum, ſuffragantibus omnium votis evexerit. Intererat quippe rei Chriſtianæ, ut is „unitatem Eccleſiæ his difficillimis temporibus regeret, qui pietate ſua cæleſte præſidium fidelium gregi promereri poſſet, atque prudentia ſua, „ac conſtantia ſua fluctus illos ſuperare, quibus Petri navis, cujus „clavo feliciter tenendo admotus eſt, „atrociter concutitur. Nos ſane, qui „a Chriſto Domino in partem ſollicitudinis vocati ſumus, miniſterio noſtro id egimus Superioribus annis apud felicis memoriæ Innocentium X. „ut

„ut Conſtitutionem ederet, qua motus „in Galliis excitati ob Janſenii Yprenſis „quondam Epiſcopi doctrinam, certis „capitibus comprehenſam, compeſce- „rentur. Promulgatum a Gallicanis „Epiſcopis Decretum ſtudioſe amplexi „ſunt fideles Populi, demptis paucis, „qui de Janſenii doctrina nihil conſti- „tutum fuiſſe, palam cum ſimularent, „intimis animorum ſenſibus ex illius „damnatione urebantur. Horum Ca- „villationes ſine mora comprimendas „rati, judicio ſuo decreverunt Reli- „gioſiſſimi Epiſcopi, quinque Propoſi- „tiones illas ad Janſenium pertinere, „ejusque opiniones fuiſſe proſcriptas. „Quam ſuam Sententiam cum retuliſ- „ſent ad eundem Pontificem Maximum, „illam humaniſſimis verbis non ſolum „probavit, ſed auctoritatis Apoſtolicæ „pondere de integro confirmavit, Brevi „dato ad hunc Cleri Gallicani cœtum, „qui tunc propediem cogendus erat, „niſi moræ quædam obſtitiſſent. Porro „dum Conventum egimus, primum no- „bis ſtudium fuit tuendæ Religionis, „quam ab infeſtis Calvinianæ hæreſeos „Sectatorum molitionibus vindicare cu- „ravimus, impetrato a Clementia Chri- „ſtianiſſimi noſtri Regis edicto, quo ne- „farios illorum conatus repreſſum iri „nobis merito pollicemur. Priorem

Sæc. XVII. A.C. 1656.

„curam

Sæc. XVII. A.C. 1656.

„curam excepit alia illi Germana ob
„erroris societatem de profliganda Jan-
„seniana doctrina. Brevis Apostolici
„Majestate, quod frequenti cætu legi,
„promulgari, in acta redigi, omnium-
„que subscriptionibus muniri decrevi-
„mus. Eadem sane mentis alacritate
„illud suscepimus, qua Concilii Afri-
„cani Patres ab ipsis expetitam Zozimi
„Epistolam amplexi sunt, quæ Pelagii
„atque Cælestii errores, quos clanden-
„lum propagabant, peremptorio De-
„creto prostravit. Iisdem artibus gra-
„santur novæ sectæ Discipuli; ac præ-
„terea ut a capitibus suis fulminis Apo-
„stolici amoliantur ictum (licet obfir-
„mato animo quinque Propositiones
„Jansenio iterum abjudicent) ad facti
„quæstionem, in qua Ecclesiam fal-
„posse docent, controversiam deducere
„nituntur: Quas ingeniorum versutias
„vera prudentique verborum comple-
„xione infregit Breve Apostolicum,
„quod tricis illis Syllabarum ad um-
„bratiles Scholarum disputationes rele-
„gatis, decisionisque auctoritate ad ju-
„ris quæstionem restricta, doctrinam
„Jansenii, quam opere suo illo expli-
„cuit, in propositionum confixarum ma-
„teria Pontificia Constitutione damna-
„tam fuisse declarat. At enim ut se
„damnationi subducant, celeberrimum
„B. Au-

„B. Auguſtini nomen obtendunt, cujus „doctrinæ ſe profitentur eſſe ſectatores: „repudiato etiam, ſi res eorum ita fe„rant, ipſo Janſenio. Hujus tamen „pravas & detortas, quas ad Doctoris „egregii locos adhibent, interpreta„tiones amplectuntur, ſicque Magiſtrum „illum optimum, a Cœleſtino lauda„tum, dum verbis colunt, adultero „ſenſu violant, quod a nobis adnotari „oportuit in actis de Brevis promul„gatione confectis, ut eorum callidita„tibus iretur obviam, quibus incauto„rum & ſimplicium animis illudunt, „acſi Auguſtinum aſſererent ipſi, a cu„jus tamen Sententia pertinaciter di„ſcedunt, quæ per Conſtitutionem de „iis, quæ ſunt Regulæ fidei adverſa, „latam conſtabilita eſt; ſicque in prio„rem illam fulgurati Janſeniani erroris „damnationem recidunt. Totam vide„remur debellati hoſtis gloriam in De„ceſſorem refudiſſe; niſi conſtaret orbi „Chriſtiano, quis tunc fuiſſet particeps „curarum, & præcipuus rerum admi„niſter, quem Parens optimus ad lau„dis ex hoc egregio facinore partæ „communionem adſciviſſet. Decoris „iſtius pars maxima pertinet ad San„ctitatem Veſtram, quæ quidem cum „ſuis nunc auſpiciis res Eccleſiæ uni„verſæ inexhauſta ſollicitudine gerat, „illud

Sæc. XVII. A. C. 1656.

Sæc. XVII. A. C. 1656.

„illud augere perget mediata & ube-
„riore, si opus sit, Catholici dogmatis
„illustratione. Nos sane officio nostro
„non deerimus, nec reliqui Episcopi,
„quos Encyclica epistola monuimus de
„rebus in hoc Conventu actis, deque
„iis, quæ nobis gerenda videntur in
„Provinciis, ut Fideles omnes obse-
„quio suo & usu Constitutionem Sa-
„ment, pœnis alioquin a jure decretis
„adversus hæreticos Episcopali judicio
„coercendi. Finita est caussa Rescripti
„Apostolicis, utinam finiatur & error,
„si licet verbis Augustini vota nostra
„concipere, quorum compotes erimus,
„si Alexandri VII. Pontificis Maximi
„Sanctitas juxta veterem ritum Divino
„Numini illa consecraverit, a quo ve-
„cissim longævitatem Beatitudini Ve-
„stræ studiosissime postulant, qui sunt
„cum ea, qua par est, reverentia &
„veneratione. „

Beatissime Pater!

Obsequentissimi & devotissimi Filii tui
Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi, et
Ecclesiastici viri in Generalibus Cleri Ca-
licani Comitiis congregati.

Sæc. XVII.
A. C. 1656.

§. CIII.

Constitutio Alexandri VII. Papæ contra Jansenistarum interpretationes edita.

Postquam igitur Alexander VII. Pontifex Maximus ex Cleri Gallicani literis probe cognoverat, quod potissimi ex Franciæ Præsulibus integerrima fide sese Pontificiæ Constitutioni ac Ecclesiæ judicio submitterent, econtrario autem Jansenii Fautores artificiosis interpretationibus censuram eludere, necnon doctrinas in quinque propositionibus damnatas vindicare intenti essent, ut huic malo efficacius opponeret remedium, die decima sexta Octobris sequentem edidit Constitutionem: *Bull. magn. Alex. VII. Const. t. 6.*

„Ad Sacram Beati Petri Sedem & „universalis Ecclesiæ regimen, inscru„tabili divinæ Providentiæ dispositio„ne, nullis nostris suffragantibus me„ritis evecti, nihil nobis antiquius ex „muneris nostri debito esse duximus, „quam ut sanctæ fidei nostræ, ac sa„crorum dogmatum integritati, tradita „nobis a Deo potestate, opportune con„suleremus.„

„Ac licet ea, quæ Apostolicis Con„stitutionibus abunde fuerunt definita, „novæ decisionis seu declarationis ac„

Sæc. XVII. A. C. 1656.

„cessione nequaquam indigeant, quia „tamen aliqui publicæ tranquillitatis „perturbatores illa in dubium revocare, „vel subdolis interpretationibus labe„factare non verentur, ne morbus ille „latius divageturr, promptum Apostolicæ auctoritatis remedium censuimus „non esse differendum. Emanavit si„quidem alias a felicis recordationis „Innocentio PP. X. Prædecessore nostro „Constitutio, declaratio & definitio.

His præmissis Pontifex Innocentii X. Constitutionem adduxit, post modum ita prosecutus: „Cum autem „sicut accepimus, nonnulli iniquitatis „Filii prædictas quinque Propositiones „vel in libro prædicto ejusdem Cornelii „Jansenii non reperiri, sed fictas, & „pro arbitrio compositas esse, vel non „in sensu ab eodem intento damnatas „fuisse asserere, magno cum Christi Fi„delium scandalo non reformident. Nos „qui omnia, quæ hac in re gesta sunt, „sufficienter & attente perspeximus, „utpote qui ejusdem Innocentii Prædecessoris jussu, dum adhuc in minoribus constituti Cardinalatus munere „fungeremur, omnibus illis congregationibus interfuimus, in quibus Apostolicæ „auctoritate eadem caussa discussa est, „ea profecto diligentia, qua major de„siderari non posset, quamcunque dubi„tatio-

„tationem super præmissis in posterum „auferre volentes, ut omnes Christi fi„deles in ejusdem fidei unitate sese con„tineant, ex debito nostri Pastoralis „officii, ac matura deliberatione præ„insertam Innocentii Prædecessoris no„stri Constitutionem, declarationem & „definitionem harum serie confirma„mus, approbamus & innovamus; & „quinque illas Propositiones ex libro „præmemorati Cornelii *Jansenii* Epi„scopi Yprensis, cui titulus: *Augusti„nus*, excerptas, ac in sensu ab eodem „Cornelio intento damnatas fuisse, de„claramus & definimus, & uti tales, „inusta scilicet eadem singulis nota, quæ „in prædicta declaratione, & definitio„ne, unicuique illarum sigillatim inuri„tur, iterum damnamus.„

Sæc. XVII. A. C. 1656.

„Ac eundem librum sæpe dicti Cor„nelii *Jansenii*, cui titulus: *Augustinus*, „omnesque alios tam manuscriptos, „quam typis editos, & si quos forsan „in posterum edi contigerit, in quibus „prædicta Cornelii *Jansenii* doctrina, ut „supra damnata defenditur, vel astrui„tur, aut defendetur, vel astruetur, „damnamus itidem, atque prohibemus. „Mandantes omnibus Christi Fidelibus, „ne prædictam doctrinam teneant, præ„dicent, doceant, verbo vel scripto ex„ponant, vel interpretentur publice vel

Sæc. XVII. A. C. 1656.

„privatim, palam vel occulte impri„mant, sub pœnis & censuris contra „hæreticos in jure expressis, ipso facto, „absque alia declaratione incurrendis.„

„Præcipimus igitur omnibus Ve„nerabilibus Fratribus nostris Patriar„chis, Primatibus, Metropolitanis, „Archiepiscopis, Episcopis, cæteris„que locorum Ordinariis, ac hæreticæ „pravitatis Inquisitoribus, & Judicibus „Ecclesiasticis, ad quos pertinet, ut „præinsertam Innocentii Prædecessoris „Constitutionem, declarationem & de„finitionem juxta præsentem nostram „determinationem ab omnibus obse„vari faciant, ac inobedientes & re„belles prædictis pœnis, aliisque juris „& facti remediis, invocato etiam, si „opus fuerit, brachii sæcularis auxi„lio, omnino coerceant. Datum Ro„mæ apud Sanctam Mariam Majorem, „anno Incarnationis Dominicæ mille„simo sexcentesimo quinquagesimo sex„to, decimo septimo Kal. Nov. Pon„tificatus nostri anno secundo.„

Post promulgatam hanc Constitutionem, suadentibus Mazarino Cardinale, & Petro de Marca, ceteri Præsules in Parisiensi Conventu congregati addidere juramenti formulam intra Mensem ab omnibus Prælatis subscribendam, cujus tenor erat sequens:

„Ego

„Ego me ſubmitto ſincere conſtitutioni „Papæ Innocentii X. datæ 31. Maij 1653. „Secundum verum illius ſenſum, qui „eſt determinatus per conſtitutionem „N. S. P. Alexandri VII. datam 16. Oct. „1656. Ego agnoſco, me eſſe obliga„tum in conſcientia his conſtitutioni„bus: & condemno ore & corde do„ctrinam quinque propoſitionum Cor„nelii Janſenii, contentam in ejus li„bro, cui titulus *Auguſtinus*, quam duo „Pontifices & Epiſcopi condemnarunt. „Hæc doctrina non eſt doctrina S. Au„guſtini, quem Janſenius male expli„cavit, contra verum ſenſum hujus „S. Doctoris.„

Sæc. XVII. A. C. 1656.

Rogabant inſuper hi Præſules ſummum Pontificem, ut hanc juramenti formulam ſua quoque auctoritate firmaret, omnibusque obſervandam præſcriberet, illam etiam anno hujus ſæculi ſexageſimo quarto Menſe Aprili Franciæ Rex edito deſuper decreto ab omnibus ſubditis in uſum deduci præcepit.

§. CIV.

Ejusdem ſummi Pontificis epiſtola ad Joannem ab Auſtria Belgii Gubernatorem contra Janſenii Fautores.

Sæc. XVII. A. C. 1656.

Argentre t. 3. p. 282.

Pari etiam sollicitudine idem summus Pontifex damnatæ doctrinæ Zizania in Belgio eradicare adlaborabat, ac propterea Joannem ab Austria nothum Philippi IV. Regis Hispani Filium, postquam illum ad Belgii Regimen assumptum fuisse compererat, enixe precabatur, ut damnata Jansenii dogmata ab ejus fautoribus in Belgio disseminari ac defendi prohiberet. Hanc in rem die vigesima tertia Decembris ad eundem Roma has dedit literas:

„Dilecte Fili, nobilis vir, Salutem „& Apostolicam Benedictionem. Accepimus ex literis dilecti Filii Hieronymi Abbatis Montis Regalis, quod „nobis jam antea minime obscurum „erat, egregiam esse Nobilitatis tuæ „pietatem, & in tuenda Ecclesiæ dignitate constantiam. Id etli minime „novum nobis acciderit, gratissimum „tamen fuit. Neque enim spectata „virtutis fructus suavis esse non potest, „præsertim ubi Christi charitas intercedit, qua te ut obsequentissimum filium „complectimur. In Domino itaque, a „quo omnis boni operis initium perfectioque deducitur, laudamus, et „hortamurque te vehementer, ut pergas ea, quam tibi isthic clarissimus „Filius noster Philippus Rex Catholicus potentiam tribuit, Dei gloriæ inserv-

„servire; quam optimi ac Sapientes „imprimis Principes antiquissimam sem- „per sanctissimamque habuerunt. Quæ „profecto integra, inviolataque retine- „bitur, si nihil unquam de Sanctæ hu- „jus Sedis amplitudine, reverentiaque „decedet. Quod igitur tua pietate di- „gnum est, authoritate omni, conatu- „que tuendam hanc suscipe, ne per- „mittas pravas nonnullorum voces, ac „doctrinas latius serpere, proseminari- „que, qui magno cum audientium scan- „dalo ac pernicie damnatas jam pridem „ab hac Fidelium omnium Matre ac „Magistra Cornelii *Jansenii* Yprensis o- „lim Episcopi sententias, alio Sanctæ „hujus Sedis sensum ac mentem per- „verse trahentes, docere & propugnare „non verentur. Adeo enim palam a- „pertum est, quid de his Propositioni- „bus Beati Petri Cathedra pronuncia- „verit, decreveritque, ut vel graviter „hanc contemnere, vel hujusmodi ho- „mines seipsos atque alios seducere ne- „cesse sit; quodque ait Propheta, bo- „num malum, ac malum bonum dicere, „ponentes tenebras lucem, ac lucem „tenebras. Prosequere itaque, Deo „adjuvante, quod cepisti, ac terrenam, „quam obtines potestatem, omnium „Regi ac Dominatori subjice; qui, ut „est fidelis & verax, facienti tibi dona

Sæc. XVII. A. C. 1656.

Sæc. XVII. A. C. 1656.

„abundanter retribuet, a quo secunda „omnia Nobilitati tuæ precamur, & „Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.„

§. CV.

Antonii Arnaldi Sorbonici Doctoris apologia.

Postquam Arnaldus suam epistolam a Facultate Theologica Parisiensi & Clero Gallicano censuris notatam, necnon utriusque censuram a Sorbona die vigesima quarta Martii receptam fuisse compererat, plures tum per seipsum, tum per amicos suos adversus Facultatis sententiam apologias typis vulgavit, ac præcipue die vigesima septima Januarii suæ caussæ acta, variasque literas apologeticas edidit, in quibus sacræ Facultatis Judices, pro more illorum, quos caussæ iniquitas condemnat, injustitiæ, atrocissimæ inhumanitatis, & oppressæ veritatis incusabat, illosque violatis omnibus æquitatis ac justitiæ legibus per media illegitima, & Theologis indigna, & ab omnibus honestis Viris execranda processisse arguebat, & I. quidem, eoquod ejus judices extiterint capitales ipsius inimici, & Mendicantes quamplurimi a jure suffragii aliunde exclusi, præter Sulpi-

Sæc. XVII. A. C. 1656.

Sulpitianos Doctores, contra quorum tamen Parochum suam epistolam scribere compulsus fuisset. II. Eidem nec propositiones ex Jansenii libro decerptæ, nec disputandi in Conventu copia fuerit concessa, nec ejus Apologiæ ad Facultatem transmissæ, fuerint prælectæ, nec etiam de suo scripto, quo Pontifici & Episcopis circa quæstionem facti satisfacere molitus esset, unquam deliberatum, ac insuper differendi ac judicandi tempus fuerit limitatum. III. Damnationis sententia nequaquam per duas suffragiorum tertias pronuntiata, plusquam quinquaginta & uno pro Arnaldo stantibus, & Facultatis Decanus, quin exprimeret, quid concludat, duntaxat per hæc verba: *Ego concludo*, conclusionem pronuntiarit.

Verum hasce Arnaldi querelas illi, qui Facultatis censuram tuebantur, prolixe ac erudite everterunt, demonstrantes, quod Deputati Judices non Personæ, sed caussæ jam antea damnatæ inimici fuissent, ex Doctoribus autem Sulpitianis non plures, quam octo intervenerint: insuperhabita etiam Arnaldi oppositione, qua suos Judices rejecerat, Regius Senatus Facultatis censuram & Judices approbarit: Mendicantes vero longo tempore ante Arnaldi caussam jure suffragii potiti, in

Sæc. XVII. A. C. 1656.

juris sui possessione fuerint ab eodem Senatu relicti: Scriptum autem ejus circa quæstionem facti Facultas non examinarit, eoquod ea ab Ecclesia jam fuisset definita, proin non Facultatis sed Papæ & Episcoporum esset decidere, an illis Arnaldus satisfecerit, Arnaldus tamen, ut mentem suam explicaret, a Facultate fuerit invitatus, *disputare* autem coram Judicibus & Tribunali res inaudita sit, tempus vero non modo ejus fautoribus, sed & adversariis fuerit limitatum ad resecandos inutiles sermones, aliunde vero ejus fautores post pronuntiatam censuram saltem quoad quæstionem juris non reclamarint, forte quia ipsimet persuasi erant, quod plura suffragia sufficiant, & tertia pars non requiratur, minus vero communis omnium consensus, alias equidem tertia pars pro Arnaldo sufficiens fuisset.

Cum ergo sat aperte constaret, hæc omnia partim falso, partim frivole ab Arnaldo ad eludendam censuram fuisse objecta, hinc nec ullam Catholicam Academiam, nec ullum Tribunal Ecclesiasticum, quod censuram improbaret, in sui favorem pertrahere potuit, & quamvis suam doctrinam variis artibus ad decipiendum compositis, & verbis specietenus Catholicis contegere, studio-

studiosissime adlaborasset, nihilominus ipse unacum Sant-Beuveo & aliis septuaginta Doctoribus e Sorbonæ gremio ejectus est. Nec tamen propterea scriptitandi finem fecerat; quippe in damnatarum propositionum vindicias tres epistolas ad quemdam Episcopum, binas ad Chamillardum Doctorem, prolixam dissertationem latinam, plures-que alios tractatus Apologeticos edidit.

Sæc. XVII. A. C. 1656.

§. CVI.

Literæ Provinciales a Pascali consarcinatæ.

Patrocinabantur Arnaldinæ caussæ non modo Petrus Nicoleus, & Joannes Launoyus, sed præcipue Blasius Pascalis, qui Portus Regii Communitati a secretis erat; cum enim Jansenii fautores hucusque seriis suis disputationibus, librisque ad Theologiæ stateram ponderatis nihil proficerent, Arnaldus, ejusque Amici rem deinceps per jocum agere, ac faceta dicendi methodo per varia *facta* ludicre exposita demonstrare decreverunt, quod eorum Adversarii circa quæstionem facti Jansenani nonnisi terminis æquivocis ludant, & de lana caprina decertent. Placuit cunctis hoc consilium, hujusque rei exequendæ negotium Pascali deman-

Abrege de l'Hist. Eccl. tom. 11.

Sæc. XVII. A. C. 1656.

demandatum, qui etiam eo fine ſub ementito Ludovici Montalti nomine octodecim edidit epiſtolas, quas *Provinciales* appellitabat, eoquod primas decem ad quemdam ex Provincia in Galliis natum directas finxiſſet. Hæ literæ ob ſtyli nitorem, & facetam in dicendo jucunditatem paſſim omnium terebantur manibus, magisque legentium aviditatem acuebat Petrus Nicoleus Præfati Paſcalis ſocius, qui has literas ſub Wendrokii nomine terſa latinitate donavit, variisque epiſodiis, & animadverſionibus auxit. In prima & ſecunda harum Paſcalis demonſtrare nititur, quod Janſenii hoſtes ad augendum ſuorum numerum ſibi præter Moliniſtas etiam Thomiſtas aggregarint, eoquod hi cum illis *proximum poſſe*, & gratiam ſufficientem licet diverſo ſenſu admittant, in tertia cenſuram Facultatis exagitat: in quarta vero, an ſemper gratia actualis detur illi, qui peccat. Poſtea ſequentibus decem epiſtolis, relicta Janſenii & Arnaldi cauſſa, in moralem Jeſuitarum & modernorum Caſiſtarum doctrinam nimis laxam, & ob Probabilismi uſum moribus & diſciplinæ inimicam feſtivis quibusdam Dialogis invehitur. Denique in poſtremis duabus ad P. Annatum Jeſuitam

tam anno ſequenti datis rurſus Janſenii propoſitiones tueri videtur. Sæc. XVII. A. C. 1656.

§. CVII.

Harum Literarum fata.

Quamvis hæ literæ a bina Univerſitate fuerint commendatæ, nihilominus non modo a Patre Annato, Deſchamps, Craſſet, & Daniele Jeſuitis tam hæ, quam Arnaldi epiſtolæ fuerunt vehementer exagitatæ, ſed inſuper anno ſequenti die ſexta Septembris Alexander VII. in Congregatione Generali S. Romanæ Inquiſitionis easdem damnavit, prohibuitque ſequenti decreto: „Sanctiſſimus D. N. Alexander „Papa VII. præſenti Decreto prohibet, „& damnat libros infra ſcriptos, eos„que pro damnatis & prohibitis haberi „voluit ſub pœnis & cenſuris in ſacro „Concilio Tridentino, & in indice Li„brorum prohibitorum contentis, aliis„que arbitrio Sanctitatis ſuæ in„fligendis.„ *Recueil. Hiſt. in Bibl. Sorb.*

I. Decem & octo Epiſtolas Gallico „idiomate conſcriptas. II. Item epi„ſtolam Advocati Parlamentarii ad „ſuum Amicum circa Inquiſitionem in „Gallias invehendam occaſione Bullæ „Alexandri VII. III. Opera omnia „Arnaldi. IV. Et quia circumferun„tur

Sæc. XVII. A. C. 1656.

„tur quædam folia impressa, An. 1656.
„quorum titulus est: *Tredecim Theolo-*
„*gorum ad examinandas quinque Propo-*
„*tiones ab Innocentio V. Selectorum suf-*
„*fragia*, seu ut appellant, *Vota summo*
„*Pontifici scripto tradita.* Eadem San-
„ctitas sua præsenti hoc Decreto illa
„prohibet, & declarat, ac decernit,
„iis tanquam apocryphis nullam fidem
„esse adhibendam, nec a quocunque
„allegari posse, vel debere. V. Et præ-
„terea Epistolas, libellos, ac libros
„alios quoscunque, in quibus doctrina
„*Cornelii Jansenii* Episcopi Yprensis, in
„quinque Propositionibus per Constitu-
„tiones Innocentii Prædecessoris, &
„Sanctitatis suæ damnata asseritur, aut
„quomodolibet approbatur, vel defen-
„ditur, tam impressos, quam impri-
„mendos quocunque idiomate, vel quo-
„modolibet etiam in scriptis evulgatos,
„vel in futurum evulgandos, Sancti-
„tas sua omnino damnat, & prohibet,
„ac damnatos & prohibitos esse vult,
„mandans, ut nemo cujuscunque gra-
„dus & conditionis existat, etiam spe-
„ciali seu specialissima nota dignus li-
„bros prædictos, aut aliquem ex illis
„apud se retinere, legere, aut impri-
„mere, aut imprimi curare audeat,
„sub pœnis & censuris contra hujus-
„modi delinquentes statutis; sed statim
„qui-

„quicunque illos habent, vel in futu- Sæc. XVII.
„rum quandocunque habebunt, loco- A. C. 1656.
„rum Ordinariis, seu Inquisitoribus sub
„iisdem pœnis exhibere teneantur. „

„Insuper cum hac occasione & præ-
„textu in lumen prodeant plures libri
„continentes & tractantes materiam
„*de Auxiliis*, nulla prorsus petita vel
„obtenta licentia ab hac sacra Congre-
„gatione, contra formam Decretorum
„Pauli V. & Urbani VIII. Prædeceſſo-
„rum suorum (quæ, quatenus opus
„sit, Sanctitas sua denuo confirmat, in-
„novat, & inviolabiliter observari man-
„dat, sub censuris & pœnis in eisdem
„contentis) ideo illis inhærendo, di-
„ctos libros editos, & in futurum quo-
„modolibet edendos absque eo, quod
„fiat de illis specialis mentio, ipso
„facto, absque alia declaratione pro
„expresse prohibitis haberi voluit, &
„decrevit, „

Joannes *Lupus* Sanct. Sanct. Rom. & universalis Inquisitor Not. Præterea Ludovicus XIV. Franciæ Rex quatuor Episcopos, & novem Parisienses Doctores nominavit, qui hasce Pascalis literas latine sub ementito nomine Wendrokii a Nicoleo redditas, necnon disquisitiones Pauli Irenæi discuterent, suumque desuper judicium ferrent: Hi autem die septima Septembris

Sæc. XVII. A. C. 1656. bris ita censebant: *Nos infra scripti Regis decreto selecti ad ferendum judicium de libro, cui titulus est*, Ludovici Montaltii literæ Provinciales &c. *præmisso ejusdem libri diligenti examine, testamur Jansenianas hæreses ab Ecclesia damnatas in eo propugnari, atque defendi, tum in dictis literis Ludovici Montaltii, tum in Notis* Willelmi Wendrokii, *tum in adjunctis* Disquisitionibus Pauli Irenæi: *atque id esse ita manifestum, ut, si quis neget, necesse sit, vel non legisse librum hunc, vel non intellexisse; vel certe, quod pejus est, non putare, id hæreticum esse, quod a summis Pontificibus, & ab Ecclesia Gallicana, & a Sacra Facultate Theologiæ Parisiensis damnatur ut hæreticum.*

Testamur insuper maledicentiam & petulantiam tribus illis authoribus adeo esse familiarem, ut nulli hominum conditioni parcant, exceptis Jansenistis; non summo Pontifici, non Episcopis, non Regi, non principuis Regni Administris, non Sacræ Facultati Parisiensi, non Religiosis Familiis; ideoque librum esse dignum pœna libellis famosis & hæreticis a jure constituta.

Percepto horum judicio die vigesima tertia Septembris anno Christi millesimo sexcentesimo sexagesimo Sanctior Regis Christianissimi Senatus edito decreto Parisiis has Pascalis literas tanquam hæreticas & maledicas per

per manum carnificis lacerari & comburi jussit: pariter die nona Februarii Anno hujus sæculi quinquagesimo septimo Senatus Aquensis in Provincia easdem utpote *famosas, calumniis plenas, & publicæ rei perniciosas* pariter a carnifice in flammas conjici mandavit, statuta gravi pœna in typographos, aliosque, qui illas imprimere, retinere, vendere, aut distrahere præsumerent. Sæc. XVII. A. C. 1656.

§. CVIII.

Parisiensium & Rothomagensium Parochorum Zelus contra laxiorem morum doctrinam.

Postquam vero hæ Pascalis literæ Rothomagum fuerant delatæ, mox hujus Diœcesis Parochi exhorruere ad perniciosas, laxasque doctrinas, quas harum literarum Author ex Jesuitarum Scriptoribus hausisse asserit: Eapropter propositiones ab eo allatas cum ipsorum libris, unde excerptæ dicebantur, & in quas San-Maclovensis Parochus in suis concionibus vehementius invehebatur, habitis hac de re comitiis conferre statuerunt: Seligunt igitur ad hoc munus sex Parochos doctrina ac probitate magis conspicuos, quibus datum est negotium, ut ejusmodi propositiones ex hisce Theologorum libris integra *Argentre l. c.*

Sæc. XVII. A. C. 1656

fide excerperent, eo fine, ut earum censuram canonico modo a summo Pontifice & Episcopis unaomnes deposcerent, si tamen hæ reipsa apud præitos Authores exstarent, cujuscunque demum conditionis aut status forent, sin autem exstare minime reperirentur, penitus hanc caussam abjicerent, & has epistolas, in quibus ejusmodi doctrinæ allegatis Theologis falso adscribuntur, proscribi peterent. Postquam vero Delegati Parochi, qui per integrum Mensem in loca a Pascali adducta singulari diligentia inquisierant, se doctrinas in citatis libris integre reperisse retulerunt, ceteri unanimi suffragio decrevere, ut singuli ad illum locum, ubi citati libri haberentur, se conferrent, & ipsimet hosce libros consulerent, & cum excerptis locis compararent. Hæc indagantium solertia alios sex dies tenuit; cum autem has doctrinas ibidem reperiri cognerent, communi consensu horum errorum damnationem a suo Archiepiscopo efflagitarunt, simulque de consilio suo Parisienses Parochos certiores reddiderunt. Hi ergo tam salutari proposito assentientes, Synodicas literas ad omnes Franciæ Parochos dederunt, quibus eos hortabantur, ut unacum ipsis non modo horum dogmatum, sed

&

& aliorum, quæ in Casistis quibusdam deprehendissent, damnationem a propriis suis Episcopis peterent, & tam perversas, moralemque Ecclesiæ disciplinam corrumpentes doctrinas Clero Gallicano damnandas offerrent. Attamen Antistites Parisiis congregati ægerrime ferebant, quod hi Parochi non communicato consilio Episcoporum, qui tamen Pastores & Doctores primi Ordinis essent, Synodicas literas de rebus ad moralem disciplinam pertinentibus, & cum fide Catholica connexis ad varias Diæceses transmittere præsumpsissent. Ita major erat quorumdam animositas in damnandis Montalti literis, quam in eradicandis perniciosis doctrinis, quarum Auctores Montaltus carpebat.

Sæc. XVII. A. C. 1656.

§. CIX.

Episcopi Gandavensis epistola ad Facultatem Lovaniensem pro damnandis doctrinis laxioribus.

Horum tamen Parochorum ac præcipue Mechlinienſis Archiepiscopi exemplo incitatus Antonius Triest Episcopus Gandavensis laxioribus doctrinis, quæ ex Casistarum libris tam in scholis quam in sacris Tribunalibus passim in usum deducebantur, sese oppo-

Argentre p. 283. t. 3.

Sæc. XVII. A. C. 1656.

suit, hancque in rem anno sequenti quasdam propositiones, ex probabilissimo enatas Facultati Theologicæ Lovaniensi censurandas exhibuit, data ad eandem hac epistola:

„Admodum Reverendi ac eximii „Domini, Illustrissimus ac Reverendissimus Dominus Archiepiscopus Mechliniensis nuper defunctus piæ & recolendæ memoriæ, pro singulari sua „erga gregem sibi commissum vigilantia & sollicitudine, miserat ante annos aliquot S. vestræ Facultati nonnullas propositiones morales admodum laxas & perniciosas examinandas, ac censurandas, ut si ita judicium vestrum ferret, earumdem praxin in Diæcesi sua prohiberet, & animarum Rectoribus ac Confessariis expresse mandaret, ne ullo pacto eas „sequerentur, admitterent, aut docerent: quod & juxta Censuram vestram „præstitit, ac facti sui rationem sacræ „Congregationi Cardinalium S. Concilii Tridentini Interpretum aperuit, „dictasque propositiones, ut præfertur, „censuratas transmisit, ut authoritate „sua superiori pium illud inceptum promovere dignarentur. Eminentissimi „Patres Zelum atque prudentiam ipsius, „ut accepimus, summopere laudarunt, „literis ad ipsum datis Romæ die decimo „quarto

„quarto Novembris anno Christi mil- Sæc. XVII.
„lesimo sexcentesimo quinquagesimo A. C. 1656.
„quarto, & renuntiarunt dictas propo-
„sitiones a se remissas ad S Congrega-
„tionem Generalis Inquisitionis exami-
„nandas, & notandas; ut eo peracto
„opportune tanto malo prospiceretur.
„Remedium illud Christianæ Religioni
„& Ecclesiasticæ disciplinæ pernecessarium hactenus expectatum est, non-
„dum tamen obtentum.„

„Interea experimur summo animi
„nostri & proborum omnium dolore ni-
„miam illam quorumdam recentiorum
„licentiam in excogitandis *vanis & in-*
„*utilibus quæstionibus, quæ proficiunt po-*
„*tius ad impietatem, & serpunt ut cancer,*
„stabiliendisque novis opinionibus &
„commentis, continuo augeri & inva-
„lescere; probabilitates, quibus solis
„innituntur, magis magisque recipi,
„& confirmari; Ecclesiasticam disciplinam paulatim pessumdari, dogmata
„Evangelica negligi; mores perverti;
„virtutes sperni; vitia speciosis prætex-
„tibus obvolvi; & a corrupta natura
„passim magnis amplexibus arripi, ac
„sensim omnem solidæ & sinceræ pie-
„tatis normam a Fidelium cordibus
„exulare; quibus enim modis & autho-
„ribus quævis ferme jam sunt probabi-
„lia, iisdem fiunt & licita; mendacia,

Sæc. XVII. A.C 1656.

„fraudes, perjuria, calumniæ, homici-
„dia, usuræ, furta, simoniæ, & si quid
„nefandi ipsa quoque natura exhorret,
„nonnisi a rudibus & idiotis modo per-
„petrari videntur, Acutiores vero tot
„circumstantiis, suppositionibus, mo-
„dis, conditionibus, involucris, ista
„vitia norunt obducere, & fucata ma-
„litia in virtutes quodam modo trans-
„formare, ut non solum hominibus,
„sed & ipsimet Deo facile imponerent,
„si possent.„

„Imo vero principiis ipsorum in-
„hærendo, leges omnes & jura tam
„positiva, quam naturalia probabilita-
„tibus tandem cedere debebunt. Do-
„cent enim nonnulli, *authoritatem unius*
„*Doctoris probi & docti reddere opinio-*
„*nem probabilem, & hanc unicuique licitum esse, etiam reluctante conscientia, se-*
„*qui*, cui præmissæ si subsumantur aliæ
„duæ sequentes opiniones: *quod nemo*
„*Confessarius teneatur sub peccato mortali*
„*absolvere eum, qui juxta probabilem sen-*
„*tentiam operatus est, quamvis a parte re*
„*sit falsa, & talis a Confessario judicetur,*
„*neque Judex sæcularis possit talem illusi*
„*conscientia punire.* Quid quæso inde
„sequetur, nisi gravissimorum etiam
„criminum reos, modo doceant se unius
„Doctoris probi & docti opinionem se-
„cutos, ab omni lege & pœna, tam
„in

„in foro poli, quam in foro fori immu- Sæc. XVII.
„nes esse & liberos.„ A.C. 1656.

„Et hæc quidem fusius fortassis „quam necesse erat apud eximias Do„minationes vestras, longe melius de „similibus instructas, deposuimus, ut „doloris nostri & scriptionis hujus caus„sas cognoscant: quæ animum nostrum „eo penitius feriunt, quod intelliga„mus laxas & perniciosas hujusmodi „opiniones non modo nimis libere per „Diœcesim nostram disseminari & pra„cticari; verum etiam quandoque pro „concione plebeis, non sine pruden„tiorum & cordatorum scandalo, pu„blice tradi, doceri, & inculcari. Quid „autem in privatis colloquiis, & præ„sertim sacris Confessionibus agatur, „supremus animorum scrutator & ar„biter noscit; pravos saltem effectus „& conscientiarum corruptelas Confes„sarii plurimi, aliique viri probi quoti„die experiuntur, ac deplorant.„

„Urget interim subditarum ovium „cura a supremo Pastore Christo Do„mino nobis commissa, premit officii „debitum, & instat reddenda ministerii „ratio, ut pro viribus nostris opportu„num quantocius remedium adfera„mus; a nobis enim illam exiget, non „ab illis, ad quos non pertinet de ovi„bus; *sed si speculator*, id est Episcopus,

Sæc. XVII. A. C. 1656.

„*viderit gladium*; etiam perversæ doctri-
„næ, *venientem, & non insonuerit buccina; & populus se non custodierit, venerit-*
que gladius, & tulerit de eis animam, ille quidem in iniquitate sua captus est; san-
guinem autem ejus de manu speculatoris re-
quiram, inquit Dominus apud Prophe-
„tam suum Ezechielem. Neque enim
„solummodo conqueritur paulo inferius,
„quod Pastorum incuria & desidia gre-
„*ges facti sint in rapinam luporum*, id est
„hæreticorum, verum etiam quod ovi-
„*factæ sint in devorationem omnium bestia-*
„*rum agri*, quæ licet aperte non invo-
„dant, aut rapiant, occulte tamen in-
„ficiunt, & devorant gregem. Ac per
„eas non incongrue intelligi possent per-
„niciosarum istarum opinionum ma-
„gistri, qui speculationibus suis nonnisi
„terrena & carni allubentia sapere vi-
„dentur, animos autem ad Cælestia &
„vere Christiana non dirigunt: & cum
„*purissimam aquam biberint, reliquam pedi-*
„*bus suis turbant*, & ovibus præbent bi-
„bendam. *Quod omnes hæretici faciunt*,
„inquit sanctus Hieronymus in hunc
„locum, *ut carpant eloquia Scripturarum*
„*& quantum in se est, maculent: sed &*
„*Ecclesiastici viri, qui dogmatum non cu-*
„*stodiunt veritatem, sed de suo corde con-*
„*fingunt, magistramque habent præsumptio-*
„*nem suam, simili errore tenentur; qui,*

„*cum*

„cum populo persuaserint, vera esse, quæ „singunt, & in theatralem modum plau„sus concitaverint & clamores, immemores „fiunt imperitiæ suæ, & adducto supercilio, „libratisque sermonibus atque trutinatis, ma„gistrorum sibi assumunt authoritatem.

Sæc. XVII. A. C. 1656.

„Ut itaque conscientiæ meæ & of„ficio hac in re satisfaciam, præter „ante dictas propositiones nuper 30. „Martii & 26. Aprilis 1653. a sacra ve„stra Facultate censuratas, nonnullas „alias hisce jungo ad me delatas, at„que judicio meo & Virorum doctorum „Sæcularium & Regularium, quos su„per iis consului, perniciosas, easque, „ne temere aut leviter in re tanti mo„menti procedam, ad Eximias Do„minationes vestras transmitto, & unice „rogo, dignentur pro singulari suo in „Religionem & veritatem Catholicam „Zelo, jam toties comprobato, dictas „propositiones, prout hic jacent ex„pressæ, mature perpendere, & exa„minare: & quas in praxi perniciosas, „aut non tolerandas judicaverint, cen„sura sua singulis vel junctim apposita, „notare, ut ego deinde, quod muneris „mei fuerit, statuam, & easdem ad „Sanctam Sedem transmittam, opem„que denuo pro universali remedio im„plorem, si Eximiis DD. vestris operæ „pretium, aut necesse videatur, super

Sæc. XVII. A. C. 1656

„quo earum judicium gratum quoque „erit intelligere: & non solum mihi, „sed & fidelibus universis singulare be„neficium præstabunt. Deus sacrum „vestrum cætum Ecclesiæ & Reipublicæ „Christianæ diutissime servet, quod ani„mitus vovet, & precatur. *Inferius* „*habebatur:* Admodum Reverendarum „& Eximiarum Dominationum vestra„rum humilis servus. Signabat Anto„nius Episcopus Gandavensis. Gandavi „nona Aprilis. Anno post Christum na„tum millesimo sexcentesimo quinqua„gesimo septimo.

§. CX.

Lovaniensis Facultatis Theologicæ responsum ad Episcopi Gandavensis epistolam.

Argentre Coll. Jud. t. 3. p. 284.

Huic Episcopi Gandavensis petitioni Facultas Theologica Lovaniensis lubentissime deferens, eodem anno die quinta Maji sequens dedit responsum.

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

„Quandoquidem Illustrissimæ Gratiæ „Vestræ pro pio & sancto illo Zelo, quo „gregi sibi commisso, diu noctuque sol„licite (uti Præsul & Pastor bonus) „in-

„invigilat, noſtrum judicium expoſcere „placuerit ſuper ſuſpectis quibusdam, „quæ in Diœceſi ſua invehi incipiunt, „dogmatibus: nolentes vel officio noſtro, „vel obſervantiæ, quam Illuſtriſſimæ „Gratiæ Veſtræ debemus, deeſſe, ea„dem iſta dogmata attente, & iteratis „ſæpe vicibus, tam Collegialiter quam „ſeorſim ante pro materiæ gravitate „perpendimus & examinavimus, ac „deprehendimus (uti ſchedæ hiſce „junctæ indicabunt) quod tantopere „ab orthodoxis Doctrinæ Chriſtianæ „principiis exorbitent, tamque latam „portam varii generis vitiis aperiant, „ut omnes in ea unanimiter ſimus ſen„tentia, Præſulum Eccleſiæ eſſe illa „tanquam ſalutari Chriſti doctrinæ diſ„ſentanea profligare, & a Diœceſibus „ſuis omni convenientiori, quo id ex„pedire judicaverint, modo eliminare: „recurrendo etiam in iſtum finem ad „Sanctam Sedem, eique ſupplicando, „ut & ipſa manum ſalutarem huic tam „pernicioſo utrique Reipublicæ malo „adhibere dignetur. Neque enim du„bitare de ea poſſumus, quin viſa enor„mitate, poteſtate ſibi a Domino in „ædificationem conceſſa, uſura ſit, & „ne illud peſtilenti ſuo afflatu latius in „Eccleſia, pretioſo Chriſti ſanguine „redempta, proſerpat, efficaciter præ„pedi-

Sæc. XVII. A. C. 1656.

Sæc. XVII. A.C. 1656.

„peditura. Interea preces nostras apud „D. O. M. enixe interponemus, ut Il„lustrissimæ suæ Gratiæ in adulto hoc „senio renovari faciat ut aquilæ juven„tutem suam, eamque Ecclesiæ & no„bis multis adhuc annis sospitem con„servet & incolumem.„

§. CXI.

Propositiones a Facultate Theologica Lovaniensi censuris notatæ.

Huic suæ epistolæ Lovaniensis Facultatis Doctores subjunxerunt viginti sex doctrinæ moralis propositiones, quas ipsi ad præfati Episcopi preces maturo examine discussas, sequentibus perstrinxere censuris.

Propositio I. licitum est quærere directe occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, aut temporali, nostro vel proximi.

Censura. *Falsa, temeraria, perniciosa, atque ab auditu fidelium procul arcenda assertio.*

II. Nemo tenetur occasionem proximam peccati vitare cum magno suo detrimento. Unde nec concubinarius tenetur dimittere concubinam, quæ ipsi nimis utilis est ad lucrandum bona temporalia, media negotiatione, vel etiam ad oblectamentum concubinarii, vulgo

vulgo *Regalo*, dum deficiente illa, nimis ægre ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno afficerent concubinarium, & alia famula ad id nimis difficile inveniretur. Sæc. XVII. A. C. 1656.

Censura. *Præcedentis assertionis consectaria, & similibus notis inurenda assertio: Continens præterea corollarium, uti Epicureorum placitis consonum, ita Christianorum regulis (quibus manum, pedem & oculum quoque dextrum scandalizantem abscindere, atque a nobis abjicere præcipimur) adversum.*

III. Probabile est, non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam & honorem defendat: & si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia.

Censura. *Ne umbram quidem præfert probabilitatis; sed cumulum complet temeritatis, spatiosum calumniatoribus & impostoribus portam aperiens.*

IV. Fas est viro honorato occidere invasorem, qui fustem vel alapam nititur impingere, vel calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit. Idem quoque licet, quamvis post illatam fugiat.

Censura. *Prior pars sub indiscreta sua generalitate nefariam, & humanæ vitæ injuriosam continet doctrinam. Posterior quoque non tam justam violentiæ repulsionem,*

Sæc. XVII A. C. 1656.

nem, quam privatæ vindictæ executionem spirat.

V. Licitum est occidere calumniosum actorem, testes, & injustum judicem ad servandam vitam, honorem, vel res familiares.

Censura. *Abominanda, execrandam assertio, assasinatibus, sicariatibus, & intoxicationibus temere patrocinans; Judicibus, Advocatis, aliisque publicis justitiæ Ministris, quin & ipsis quoque Principibus præsentissimum procreans periculum.*

VI. Videtur probabile, omnem fœtum, quamdiu in utero est, carere anima rationali, & tunc primum incipere eamdem habere, cum paritur, ac consequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi.

Censura. *Falsa, & Philosophiæ ac Theologiæ principiis dissentanea assertio, perniciose quoque concludens, siquidem ut in Apologetico pro Christianis cap. 9. monet Tertullianus:* Homicidii festinatio est prohibere nasci, nec refert, natam quis eripiat animam, an nascentem disturbet: homo est, & qui futurus est, & fructus omnis jam in semine est. *Quapropter ad homicidii reatum quod attinet, inculcanda potius fuerit fidelibus Augustini sententia Serm. 244. de tempore:* Mulier quæcunque fecerit hoc, per quod jam non possit concipere, quantoscunque parere

parere poterat, tantorum homicidiorum ream se esse cognoscat. Sæc. XVII. A. C. 1656.

VII. Clarum & certum est, Judicem non posse punire aliquem, qui secutus est opinionem probabilem.

Censura. *Assertio relata ad eam probabilitatem, quam assertio 26. seu ultima obtendit, prorsus falsa est, & judicariæ potestatis perperam coarctiva, seditionum ac rebellionum invectiva, publicæ tranquillitatis turbativa, nec in Republica recte ordinata ullatenus toleranda.*

VIII. Permissum est furari non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi.

Censura. *Furari nullo casu permissum est, quia intrinsece malum: surripere autem alienum, permissum quidem est in extrema necessitate, quando aliter haberi non potest, sed illud extendere indefinite ad necessitatem gravem, est dare ansam pauperibus ad passim furandum.*

IX. Famuli & famulæ domesticæ possunt occulte Heris surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt.

Censura. *Hæc assertio falsa est, naturam hominis de se pronam ad malum præcipitans in furta, ac domesticam pacem perturbans: eo vel potissimum, quod ista compensatio ipsorumnet famulorum judicio relinquatur.*

X. Qui

Sæc. XVII. A. C. 1656.

X. Qui cessit foro, potest sibi retinere bona, quibus indiget ad sustentationem familiæ, ne indecore vivat, licet debita, pro quibus cedit, sint ex injustitia & notorio delicto contracta.

Censura. *Hæc assertio in sua generalitate falsa est & perniciosæ sequelæ, utpote plerosque fures, & alienorum bonorum usurpatores liberans a restitutione.*

XI. In caussa æquali potest Judex aliquid ab una partium accipere, ut sententiam in ejus favorem ferat.

Censura. *Falsa est, justitiæ perversitate & immanibus ac quotidianis corruptelis viam sternens.*

XII. Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.

Censura. *Aperte falsa est, & receptissimis justitiæ regulis contraria.*

XIII. Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur tanquam ex benevolentia & gratitudine debitum, sed solum si exigatur tanquam ex justitia debitum.

Censura. *Hæc assertio periculosa est, & serviens ad excusandum & palliandum usuras de jure præsumptas.*

XIV. Contractus Mohatræ licitus est, etiam respectu ejusdem personæ, &

& cum contractu revenditionis prævie inito, cum intentione lucri. Sæc. XVII. A. C. 1656.

Censura. *Falsa est & palliativa usurarum, præsertim cum emptori imponitur onus revendendi, uti in assertione.*

XV. Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, sed duntaxat tanquam motivum conferendi vel efficiendi spirituale; vel etiam quando per temporale fit solum compensatio gratuita pro spirituali, aut econtra. Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale; immo etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sic, ut illud pluris æstimetur quam res spiritualis.

Censura. *Variæ istæ formalitates ut plurimum pallia sunt latentis simoniæ, & quamvis fieri subinde possit, ut nulla proprie dictæ simoniæ labes subsit, plerumque tamen subsunt sordes simoniæ affines.*

XVI. Pro intercessione ad beneficium obtinendum potest aliquid dari sine simoniæ suspicione.

Censura. *Falsa est & perniciosa, hominibusque ambitiosis & indignis aditum aperiens ad beneficia per pecuniam promiscue procuranda.*

XVII. Satisfacit Ecclesiæ præcepto de audiendo sacro, qui duas ejus partes,

Sæc. XVII. A. C. 1656.

tes, immo quatuor simul a diversis celebrantibus audit.

Censura. *Falsa est, & præceptorum Ecclesiæ elusiva, nec majorem habet apparentiam de quatuor sacri partibus, quam de viginti.*

XVIII. Urgens metus gravis est caussa justa Sacramentorum administrationem simulandi.

Censura. *Irreligiosa est, & Sacramentis Christi injuriosa.*

XIX. Qui mediante commendatione vel munere ad magistratum vel officium publicum promotus est, potest cum restrictione mentali præstare juramentum, quod de mandato Regis a similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis: quia non tenetur fateri crimen occultum.

Censura. *Patrocinatur humanæ ambitioni: justificat perjuria, & mandatum Regium inutile reddit.*

XX. Superfluum non est, quod homines servant pro status sui vel parentum qualitate habita vel adipiscenda, ideoque vix poterunt inter sæculares inveniri, qui superfluum habeant.

Censura. *Prior pars in sua generalitate falsa est; & cum posteriori, quæ inde deducitur, elidit obligationem Eleemosynæ & misericordiæ impendendæ a Scriptura sacra cerebro inculcatam.*

XXI.

XXI. Non est nisi veniale, etiam absque utilitate se cibo & potu usque ad vomitum ingurgitare, nisi ex hujusmodi vomitibus gravia valetudini incommoda oriantur.

Censura. *Scandalosa est & falsa in sua generalitate, ac laxans habenas potatoribus ad se liberaliter ingurgitandum & inebriandum.*

XXII. Qui dormire nequit nisi vesperi sumpta cæna, non tenetur jejunare, immo neque in prandio collationem sumere, quamvis hoc modo isti incommodo obviare posset; quia nemo tenetur pervertere ordinem refectionum.

Censura. *Falsa est, & fundata super frivolo prætextu.*

XXIII. Defessus ex quocunque labore licito, vel illicito, v. g. cum fœminis commixtione, liberatur a lege jejunii.

Censura. *Falsa, & castis auribus horribilis.*

XXIV. In rigore loquendo videtur, quod homo non teneatur unquam per totam vitam suam elicere actum amoris Dei.

Censura. *Impia, & primam legem Christianæ vitæ evertens.*

XXV. Ut actio quæpiam sit peccaminosa, oportet, ut procedat ab homine, qui noscit & percipit, quid boni

Sæc. XVII. A.C. 1656.

malive in ea sit, & antequam id videat, aut animum reflectat, actio neque bona est, neque mala.

Censura. *Est contra communia Christianæ Theologiæ principia, & innumeras etiam immanissima hominum peccata excusat cum pernicie animarum.*

XXVI. Authoritas unius Doctoris probi & docti reddit opinionem probabilem.

Censura. *Perniciosa est, & innumeras absurditates invehens in omni materia doctrinæ moralis.*

§. CXII.

Sacræ Parisiensis Facultatis declarationes circa fidelium obligationem confitendi Parochis.

Alegamb. Bibl. Script. S. J. Collect. nov. monum. Gali. Cler. tom. 1. pag. 672. Argentre l. c. p. 74. Ex Bibl. Sorb.

Prodiere hoc anno apud Cramoisi duo libri, quorum primus auctore P. Joanne Bagoto Jesuita, hunc præferebat titulum: *Defensio juris Episcopalis, & libertatis, qua gaudent fideles circa Missas & confessiones de præcepto.* Alter tacito Authoris nomine sic inscribebatur: *De fidelium obligatione confitendi Parochis:* Uterque in generali Cleri Gallicani Conventu Parisiis fuit reprobatus: postea sacræ Facultatis Doctores, quibus utrumque hunc librum examinandi negotium fuerat datum,

Sæc. XVII. A. C. 1656.

tum, suum desuper judicium patefecere, edita in lucem sequenti declaratione: *Cum ante aliquot annos gravissimæ & multorum retro sæculorum controversiæ renovatæ fuissent inter* quosdam Regulares & Rectores Ecclesiarum Parisiensium super obligatione fidelium ad deponenda semel in annis peccata apud Parochos, & super audiendam Missam in suis Parochiis, *ac de iisdem controversiis varii libelli scripti fuissent, tandem die prima Martii hujus anni decurrentis supra laudatorum Rectorum nomine delatus est sacræ Facultati Theologicæ Parisiensi liber Gallico sermone conscriptus, cui titulus est*, Defensio juris Episcopalis. Autore Bagot Jesuita, *alter eadem die dictorum Regularium nomine, cui titulus est*, obligatio fidelium confitendi *Parochis quibus examinandis, cum dicta sacra Facultas selegisset nonnullos ex Magistris tum sæcularibus tum Regularibus, qui per multas congregationes rem discusserunt, auditis ipsorum relationibus contentiones illas omnes æterno silentio comprimendas voluisset, prout jam in comitiis anni 1622. die 2. Januarii decretum fuerat. Quia tamen novissimis hisce concertationibus fidelium conscientiæ a debitis erga Ecclesias suas Parochiales officiis non sine magno salutis ipsorum periculo & dispendio distrahuntur, in dies studioque partium*

Sæc. XVII. A. C. 1656.

tium veritas labefactari, laudabilisque in partibus nostris dudum observari solita disciplina convelli dignoscitur, dicta sacra Facultas, ut tantis malis meliora, quantum poterit, & salutaria tamen remedia adhibeat, duo sibi præstanda esse judicavit, alterum, ut a ferendo judicio circa varias propositiones, quæ in utroque libello continentur, non abstineat, ut quæ nimirum omnes eodem proposito authoribus dictorum librorum fine in medium adductæ sunt, neque alio collineant, quam ut ad Confessionem annuam, & Missas Parochiales audiendas fideles teneri, aut non teneri asseverent; alterum ut suum circa difficultates supra dictas judicium omnibus Christi fidelibus patefaciat.

Declarat itaque primo, eosdem fideles posse quocunque tempore etiam Paschatis, aut annuæ Confessionis apud summum Pontificem, aut Episcopos, eorumque Vicarios generales, & Pœnitentiarios, necnon apud Presbyteros quoscunque, sive sæculares sive Regulares, specialiter in certis casibus & circumstantiis ab iisdem summo Pontifice aut Episcopis delegatos confiteri peccata, & ab iis absolvi.

2. Regulares a summo Pontifice privilegia habentes, & ab Episcopis approbatos aliis diebus præter Paschales, aut annuæ Confessionis dies non impediri, quin servato more in Ecclesia recepto, possint fideles con-

confessiones audire, eosque licite & valide absolvere. Sæc. XVII. A. C. 1656.

3. *Cæteris paribus utilius esse & conducibilius non tantum ordini totius Ecclesiæ, sed quorumlibet saluti eodem Confessionis annuæ tempore apud Parochum confiteri, quam apud quemlibet specialiter, ut supra dictum est, delegatum, & Missas Parochiales frequentare, quam alias.*

4. *Eadem sacra Facultas Conc. Provinc. & Cleri Gallicani sanctiones venerata, majorum etiam suorum vestigiis insistens, eorumque secuta sensum, standum esse decernit in antiqua sua doctrina, & praxi Ecclesiarum nostrarum, & unumquemque fidelium in his præsertim partibus ad Confessionem annuam coram proprio Parocho faciendam teneri, aut altero de ejus licentia; neque ulla hucusque nova argumenta proferri potuisse, quibus existimaret, sibi esse a veteribus prædecessorum suorum decretis recedendum.*

5. *Denique eadem sacra Facultas sacri Concilii Tridentini, & Conciliorum nostrorum Provincialium a Gregorio XIII. & Sixto V. approbatorum, & totius Cleri Gallicani Constitutionibus innixa, antiquis etiam dictarum Ecclesiarum moribus, censet, unumquemque fidelem Missæ Parochiali interesse debere saltem diebus Dominicis, & festis majoribus, aut certe uno ex tribus diebus Dominicis continuis, atque ideo mo-*

Sæc. XVII. A. C. 1656. *nendos esse fideles, & serio excitandos, ut supra dicta, quantum in ipsis erit, observare studeant.*

Ceterum Doctores Religiosi hanc Facultatis declarationem nequidem prælegi in comitiis generalibus sustinebant, quinimo Pater Bagotus librum suum antea Gallice scriptum latinitate donavit, ac Romæ approbatum ibidem typis Cameræ Apostolicæ tertio post anno excudi curavit.

§. CXIII.

Francisci Guillou Baccalaurei Thesis Facultatis Theologicæ jussu correctæ.

Argentre l. c.

Ejusdem anni die decima Januarii Dionysius de la Barde Theologiæ Magister & San-Briociensis Episcopus exposuit Facultati Theologicæ, quod Franciscus Guillou Baccalaureus pro obtinendo Doctoratus honore Thesin ediderit, quæ auctoritati Episcopali plurimum derogaret, quapropter petiit, ut quidam nominarentur Doctores, qui hanc thesin examinarent, interim vero illius Auctorem a Doctoratus gradu arcerent. Huic petitioni annuens Facultas sex deputabat Magistros ceteris sapientia eminentiores, qui ea de re proxime referrent. Die igitur decima quinta

quinta ejusdem Mensis ex his antiquior retulit, se cum aliis Magistris præfatam Thesin mature discussisse, ac jussisse, ut ipsemet Baccalaureus adesset. Hic ergo ab Episcopis ipsisque nominatis Magistris veniam petens declaravit, *se agnoscere & fateri, Episcoporum jurisdictionem esse juris divini, & esse immediate a Christo, eosque in Conciliis Generalibus, & a fortiori in aliis vere esse judices, atque in illis ex eorum judiciis summum Pontificem pronuntiare, neque quidquam in sua Thesi, de qua nonnulli conqueſli sunt, contrarium dicere intendisse.* Hanc declarationem sua manu scriptam, suoque nomine apposito, & syngrapha munitam tum Episcopis, tum Deputato Magistro dedit. Postmodum vero ceteri censuerunt Deputati, Thesim illam esse supprimendam propter ambages, & obscuritates erroneis sensibus obnoxias, quibus scatet, & quibus recepta Canonum Ecclesiasticorum & Decretorum hujusce Facultatis tam veterum, quam recentiorum Doctrina de tribus immediate a Christo institutis Ecclesiasticæ potestatis gradibus, summi Pontificatus in Petro, Episcoporum in Apostolis, & Presbyterorum in septuaginta duobus Discipulis videri posset concussa & labefactata, atque ut tollatur omnis occasio querelæ, & suspicio

Sæc. XVII. A.C. 1656.

Sæc. XVII. A. C. 1656

ſpicio erroris, de conſilio Deputatorum deletæ fuerunt in ſexta illius Theſis appendice duæ ultimæ lineæ, quibus videbatur aſſeri: *Ex omnibus Apoſtolis ſolum Petrum a Chriſto immediate fuiſſe creatum Epiſcopum.* Itemque videbatur dubitari, *an omnes Apoſtoli fuerint Epiſcopi.*

Ibidem enim Baccalaureus hæc aſſerebat: *Primi Eccleſiarum Epiſcopi, etiam Apoſtoli, non ipſi ſe Epiſcopos creaverunt; ſed Chriſtus Petrum Epiſcopum Epiſcoporum, & alios Petrus, & Jacobum Minorem Epiſcopum Hieroſolymitanum: & ſi qui alii ex Apoſtolis Epiſcopi fuerunt, nec Chriſtus ipſe niſi a Patre factus eſt Pontifex.*

Hanc autem Theſin Facultatis Doctores eradi poſtularunt: Inſuper in poſtrema Theſis ſuæ appendice, in qua plus inerat difficultatis circa Apoſtolatum ipſum, & annexa Apoſtolatui gratiarum dona & poteſtates, necnon circa *jura Epiſcoporum in convocandis Synodis particularibus, & in ſanciendis cum ſummo Pontifice conciliorum generalium definitionibus*, quidquid detorqueri poterat contra veritatem, id omne hic Deputatus expungi voluit, eoquod diſertis verbis ita pronuntiaſſet Baccalaureus: *Sanctus Petrus totius Eccleſiæ fundamentalis Petra, & Paſtor univerſalis, Apoſtolorum Princeps, in illo Primatu Chriſti conſors & ſocius;*

cius participatione factus est. Si quid Christus cum eo cæteris commune voluit esse Apostolis, nunquam nisi per ipsum dedit, quicquid illis non negavit. Solus Successores habet Apostolos, seu plenitudinem habentes Apostolicæ potestatis Romanos Pontifices. Ergo Ecclesia de jure Divino Monarchia est, tametsi Aristocratia temperata. Optimates sunt cæteri Episcopi, singularum plebium capita, quos solus idem Pontifex in Concilium vel particulare, vel generale, nonnunquam ad melius necessarium convocat, ubi auditis illorum sententiis ac judiciis, ipse pro sua authoritate, certoque ac infallibili Charismate verbum fidei pronuntiat, suggerente imprimis Spiritu veritatis, quem misit Christus æternum, ut maneat in Ecclesia Romana, quæ est domus Christi.

Sæc. XVII. A.C. 1656.

Hanc thesin ejusmodi verbis exponi jusserunt Deputati, ut nihil erroneum, vel dubium circa hoc argumentum remaneret, si velit ad Doctoratus gradum admitti: Hic ergo ad Deputatorum mentem hanc Thesin ita correxit: *Sanctus Petrus totius Ecclesiæ fundamentalis Petra & Pastor universalis, Apostolorum Princeps a Christo constitutus est; Successores habet Romanos Pontifices cum plenitudine Apostolicæ potestatis. Ecclesia de Jure Divino Monarchia est, tametsi Aristocratia temperata: Principes Jure item Divino sunt cæteri Episcopi singularum plebium*

Sæc. XVII. A.C 1656.

bium capita, quos idem Pontifex in Concilium Generale convocat, ubi ex illorum sententiis ac Judiciis ipse pronuntiat, suggerente imprimis Spiritu veritatis, quem misit Christus.

Postea Baccalaureus circa Episcoporum jurisdictionem mentem suam his verbis declaravit: *Agnosco & fateor, Episcoporum Jurisdictionem esse Juris Divini, & esse immediate a Christo, eosque in Conciliis generalibus vere esse Judices, atque in iis ex eorum Judiciis summum Pontificem pronuntiare: neque quidquam in mea Thesi, de qua nonnulli conquesti sunt, contrarium dicere intendi. In cujus fidem hic subscripsi die 14. Januarii 1656. Signatum Guillou, cum Syngrapha.*

His ita decisis Præsules ex parte totius Cleri Gallicani Theologicæ Facultati per Petrum de Bertier Montalbensem Episcopum grates egerunt, eo quod Hierarchici Ordinis jura tanta cura & sollicitudine defendere voluerit.

§. CXIV.

Episcopi Andegavensis controversia cum quibusdam Religiosis.

Abrege de l'hist. Eccl. tom. 3.

Agitabatur insuper cum magna animi contentione controversia inter Henricum Arnaldum Episcopum Andegavensem, & quosdam ejusdem Diœcesis Reli-

Religiosos; cum enim hi suis innixi privilegiis varias in sacris pulpitis, & scholis disseminarent doctrinas, quas Episcopus suæ jurisdictioni noxias censeret, hinc jam ante biennium Regularibus præcipue Mendicantibus plurium suorum privilegiorum usu interdixit: Hi vero supplicem jurium suorum expositionem Episcopo tradiderunt, ac summorum Pontificum, & Conciliorum decreta, pluriumque sæculorum possessionem obtendentes, Romæ apud summum Pontificem de jure suo adversus Episcopum experiri decrevere. Enimvero Barberinus Cardinalis, ut hanc controversiam componeret, nullum non movit lapidem, pacta etiam conventa constituit, quibus Romæ non modo Regularium, sed ipsius quoque Episcopi Procurator subscripsit. Insuper Moleus Regii sigilli custos, & Valentinus Prætor suam operam utrique parti obtulere: Attamen Episcopus nec horum intercessionem acceptare, nec Procuratoris sui transactioni subscribere voluit, sed hoc anno totum hoc negotium ad Parisina Cleri Gallicani comitia devolvit, sequentesque propositiones dijudicari petiit.

Sæc. XVII. A. C. 1656.

I. Concilium Tridentinum non obligavit regulares mendicantes in Gallia ad obtinendam approbationem pro admi-

Sæc. XVII. A. C. 1656.

administrando Sæcularibus Pœnitentiæ Sacramento. Illius auctoritas non potest opponi ad restringenda eorum privilegia. Non est receptum in Gallia, nisi quoad decisiones fidei. Neque Bulla Pii IV. qua Concilium confirmavit, aliam vim habet in Gallia.

II. In locis, ubi Tridentinum est receptum, non possunt Episcopi regularibus approbationem limitare, nec datam revocare, etsi petita sit: sed negata, perinde est, ac si esset concessa.

III. Mendicantes approbati ab Episcopo pro una Diœcesi, approbati sunt pro omnibus, possunt etiam absolvere a reservatis Episcopo, sine hujus facultate.

IV. Nulla est obligatio adeundi Ecclesiam Parochialem ad recipienda annua Sacramenta, & audiendam Missam, vel concionem.

V. Neque Episcopi, neque Concilia nationalia, vel provincialia possunt hanc obligationem imponere, aut censuras, vel alias pœnas statuere in eos, qui non observant.

Die igitur prima Aprilis congregati Franciæ Præsules edito decreto ex præfatis propositionibus quasdam tanquam temerarias, & scandalosas, alias vero ut erroneas, ad hæresin vel schisma inducentes, Ecclesiæ, Conciliis, & præ-

præcipue Tridentino contrarias, & Hierarchiæ Ecclesiasticæ adversas, & falsas damnarunt. Hac censura contra Religiosos obtenta fretus Episcopus, in eos inquirere molitus, illos ad tribunal suum evocavit, & duplici denuntiatione spatio viginti horarum data præcepit, ut mox illorum Superiores ceterorum nomine huic censuræ sua apponerent chirographa: Verum illi ab hac Sententia ad Superiorem Judicem provocarunt, simul Cohonem Nemausensem Episcopum rogantes, ut sequestrum agere non detrectaret: Annuit ille, nec reluctabatur Episcopus, petiit tamen, ut Religiosi scripto profiterentur, quod a sua provocatione desisterent, nec adversus Episcopi decretum, quo eis privilegiorum usus erat prohibitus, reclamarent: sed hi ad Senatum provocarunt. Non deerant potentes utrinque Patroni, & sua quisque jura strenue tuebatur, quin tamen hæc caussa in Galliis componi posset: unde per Episcopum Romam ad Alexandrum VII. delata est, qui etiam tertio post anno die trigesima Januarii tres primas propositiones proscripsit, quartam vero quoad primam, & secundam partem simpliciter acceptam esse erroneam & temerariam: suppositis vero Privilegiis Apostolicis nullam mereri censuram, & quoad auditionem verbi Dei,

Sæc. XVII. A. C. 1656.

Sæc. XVII. A. C. 1656.

Dei, servandam esse dispositionem Concilii Tridentini: quintam vero propositionem suppositis quoque privilegiis nullam mereri censuram, hanc tamen propositionem non esse prædicandam nec publice docendam, sicut nec præcedentem censuit. Verum hanc exceptionem Clerus Gallicanus non recepit, sed utramque propositionem non tantum hoc anno sed & anno 1700. damnavit.

§. CXV.

Senonensis Archiepiscopi Declaratio circa Cleri Gallicani judicium.

Relat. des delib. du Clerge p. 81. *Vid. supra* §. 27. *p.* 90.

Hoc item anno in iisdem Cleri Gallicani comitiis Gondrinus Senonensis Archiepiscopus plene omnibus circa quinque Jansenii propositiones a Clero deliberatis subscripsit: Hic enim æque „ac Choiselius Convennensis Episcopus „in nupero Præsulum Conventu ante „biennium habito declarabant, quod „Cleri judicio, quo præfatas propositio„nes in sensu Jansenii a Papa fuisse „damnatas declaratum, ex animo sub„scribere non possent, eoquod solius esset „Pontificis suam interpretari Constitu„tionem, nullusque de vero illius sensu „certus esse valeret, donec legitime „fuisset explicata: nihilominus tamen „cum

„cum ceteris Præſulibus duntaxat ideo „ſuum apponerent chirographum, ut „reverentiam huic conſeſſui debitam „exhiberent, necnon concordiæ ſpiri„tum, pacemque in Eccleſia illibate „ſervandam tuerentur, quin tamen „propterea doctrinam S. Auguſtini circa „gratiam, Prædeſtinationem, & liber„tatem lædere intenderent.„ Diſplicuit ſummopere ceteris Franciæ Præſulibus, hæc utriusque Epiſcopi declaratio, quam in comitiis hoc anno habitis congregati Præſules prælegi juſſerunt, Senonenſem impenſe rogantes, ut hac ſuper re cum quinque Præſulibus ſpeciatim nominatis maturius conferre velit. Horum igitur rationibus, cum Senonenſis plene convictus eſſet, altera die in ſecunda Seſſione in pleno Patrum conſeſſu palam declarabat, „quod ultro a priori ſua declara„tione pridie lecta recederet, ſeque „Pontificiæ Conſtitutioni juxta verum „ejus ſenſum in comitiis ante biennium „die vigeſima octava Martii explica„tum, eodemque anno a Papa confir„matum ſeſe ſubjiciat, & quidem non „ſolum ex reverentia, pacisque amore, „ſed quia ſe ad id ex conſcientia teneri „agnoſcat.„ Hæc Archipræſulis declaratio incredibili gaudio affecit Clerum Gallicanum, qui etiam Epiſcopum

Sæc. XVII. A. C. 1656.

Sæc. XVII A. C. 1656.

Convennensem tum absentem per epistolam hortari voluit, ut & ipse quantocius parem transmitteret declarationem. Nec his adhuc erat contentus Senonensis Archiepiscopus, sed ut animi sui sinceritatem luculentiori testimonio comprobatam redderet, insuper jurramenti formulæ, quam a Petro de Marca Tolosano Episcopo confectam Clerus a cunctis signari præceperat, anno hujus sæculi sexagesimo primo subscripsit.

§. CXVI.

Gravis contentio P. Valeriani Magni Capuccini cum Jesuitis.

Vid. supra t. 202. §. 101. t. 61. p. 724. Korthold Hist. Eccl. p. 910. Apolog. Valer.

Jam supra retulimus disputationem Rheinfelsinam, in qua P. Valerianus Magnus Capuccinus, præter alios duos ejusdem Ordinis Religiosos cum Prædicantibus coram Ernesto Hassiæ Landgravio decertabat, atque inter alia asserebat, quod *Primatus Romani Pontificis non possit probari ex solo sacro textu.* Inde vero Heterodoxi repudiandi ansam arripuere, perinde ac ipsimet Catholici hunc articulum scripto Dei Verbo haud inniti faterentur: Capuccini vero apud Catholicos incusabantur, quod doctrinam non Catholicam, sed pravam & propemodum hæreticam Principi Ernesto instillassent: Pro-

Prodiit quoque ante triennium Germano idiomate Coloniæ libellus (*). Anonymus quidem, a Patre tamen Joanne a Rosenthal Jesuita, qui postmodum eidem Principi a Confessionibus erat, compositus, in quo Auctor nec Ecclesiæ, nec Universaliter Catholicis imputandum esse docuit, *si aliquis Catholicus Autor in modo ratiocinandi ex ignorantia, vel inconsideratione vel ex alio defectu, aliquid scribit, quod aliter scribendum fuisset, v. g. ubi aliquis existimavit, non posse ex sancto textu probari Primatum Romani Pontificis*, sparso hoc libello Vir magnæ authoritatis Valerianum apud Judicem Ecclesiasticum denuntiabat: Cum autem Valerianus ob omissam particulam *solo* Jesuitam edita apologia seu animadversionibus falsi nomine notasset, mox montes fumigare cæperant, & duo Capuccini de edita hac apologia suspecti custodiæ traduntur, ipsa apologia ad flammas manu carnificis publice & adstantibus Capuccinis Coloniæ addicitur, in Typographum severe animadvertitur, & Capuccinis intimatur, ut intra trimestre ex suo Monasterio aut sponte aut a Nuntio Apostolico

Sæc. XVII. A. C. 1656.

(*) Titulus hujus libelli erat: *Breves considerationes de ædificio stabili supra Petram, & non super arenam.*

Sæc. XVII. A.C. 1656.

lico aut S. Cardinalium Congregatione jussi excedant, alias Principali & territoriali jure a Principe expellendi. Eo tempore Valerianus Ratisbonæ agebat, qui totam rei seriem edoctus, suam apologiam ad Cæsarem, summum Pontificem, S. Congregationem de propaganda fide, aliosque primæ dignitatis Viros die vigesima prima Aprilis, transmisit, jam antea autem die octava ejusdem Mensis data ad P. Bonaventuram Ruthenum epistola notatam propositionem vindicare nitebatur: paulopost tamen vulgabatur aliud scriptum sub titulo: *Caussæ, cur Principi Ernesto non probetur habitatio PP. Capuccinorum in oppido S. Goari*: insuper Catholicus quidam sub nomine *Jocosi severi Medii* librum edidit, in quo Valeriani disputatio acriori stylo exagitabatur, adversus quem denuo Valerianus die decima Novembris Brunæ in Moravia clamum acuebat, edito commentario atque Appendice, in qua ex Pamphilii Cardinalis ac S. Cardinalium Congregationis Præfecti literis die vigesima quinta ejusdem Mensis & anni datis, quod fidei controversias edere & Hæreticos convertere prohibitus fuerit, nonnisi per calumniam fuisse sparsum ostendit. Enimvero anno hujus sæculi quinquagesimo quinto S. Congregatio de

de Propaganda fide die sexta Decembris sequens edidit decretum: *Sacra Congregatio justis de caussis mota, deliberate decrevit, nulli Missionario Apostolico, cujusvis gradus, conditionis, præeminentiæ, Religionis, status, &c. in posterum licere aliquod opus proprium, seu alterius, sub quovis prætextu, per se, vel per alium seu alios, typis mandare absque ipsius S. Congregationis expressa licentia in scriptis in forma solita, &c. sub pœna privationis officii, vocis activæ & passivæ, suppressionis ejusdem operis, & excommunicationis latæ Sententiæ, ipso facto incurrendæ, ac soli Sanctissimo D. N. reservatæ: præcipiendo supradictis, & cuilibet ipsorum, ut in casu, quo dictam licentiam obtineant, eandem in ipsius operis initio imprimere teneantur sub iisdem pœnis. Non obstantibus quibuscunque privilegiis, facultatibus, licentiis, &c. etiam oretenus alias datis, seu concessis: quæ omnia & singula per præsens Decretum revocata omnimode censeantur, ac pro revocatis habeantur.*

Sæc. XVII. A. C. 1656.

Verum Valerianus ex literis Dionysii Massari, ejusdem Congregationis Secretarii demonstrabat, hoc decretum non in sui odium, sed contra quemdam Missionarium fuisse editum, eo quod hic ad Mosæ trajectum evulgasset libellum famosum in quemdam Episcopum; nihilominus die prima Maji Va-

Sæc. XVII. A.C. 1656. lerianus datis ad S. Congregationem literis hoc decretum asseruit subreptitium, & Jesuitarum Societatem tanquam aut hæresi, aut atheismo corruptam apud summum Pontificem denuntiavit, data Prunæ ad eundem sequenti epistola die vigesima octava Aprilis.

§. CXVII.

Ejusdem P. Valeriani epistola ad Papam contra Jesuitas.

Beatissime Pater!

„Post beatorum pedum oscula, & humillimam meæ devotissimæ subjectionis contestationem: Ego Frater „Valerianus a Mediolano, Sacerdos „Ordinis Fratrum Minorum, nuncupatorum Capuccinorum, jussus sub pœna excommunicationis latæ Sententiæ, aliisque expressis in Bullis summorum Pontificum, prædecessorum „tuorum, denuncio Sanctitati tuæ, me „per longam annorum seriem certo certius observare, quod Clerici Regulares, nuncupati Jesuitæ, dum inhiant „divitiis, dominationi, & gloriæ supra „omnes mortales, plurima palam committunt prohibita, & omittunt præcepta sub pœna culpæ mortalis, nul-

„lum

„lum exhibentes indicium pœnitentiæ, „ſine qua ſunt ſuſpecti de hæreſi: nimi- „rum ſi credant, eas commiſſiones non „eſſe ſibi prohibitas, & omiſſiones non „eſſe ſibi præceptas: Sin vero cognita „culpa inſordeſcant in illa, ſunt ſuſpecti „de atheismo.„

Sæc. XVII. A. C. 1656.

„Expono hanc deductionem hoc „exemplo. Titius, Parochus in Civi- „tate inducit Notarium publicum, & „quatuor teſtes ad conficiendum Te- „ſtamentum falſum, cujus vafricie hæ- „res privatur hæreditate centum mil- „lium aureorum, quam Titius ſibi uſur- „pat, everſa juſtitia apud Judicem: „Quem tamen, ut & Notarium, & te- „ſtes pronunciat in Sacramento Pœni- „tentiæ immunes a culpa, & reſtitu- „tioni non obnoxios: ſe vero tuetur ad- „verſus oppreſſos, & ſcandalizatos omni „genere aliorum bonorum operum, iis „exceptis, quæ obſtant conſequendis „divitiis, dominationi, & gloriæ, cu- „jusmodi ſunt Oratio, Jejunium, Elee- „moſyna, & quæ habent meritum & „laudem ab auſteritate vitæ. Hoc fa- „ctum involvit:„

I. *Crimen falſi in Notario publico:*

II. *Juramentum falſum quatuor teſtium:*

III. *Furtum centum millium aureorum:*

Sæc. XVII. A. C. 1656.

IV. *Oppressionem Justitiæ apud Judicem:*

V. *Publicum Scandalum impœnitentiæ, & impunitatis tot criminum:*

VI. *Abusum Sacramenti Pœnitentiæ.*

„Hæ sex actiones prohibentur sub „culpa mortali omnibus hominibus per „legem divinam, naturalem, & positivam: qui vero id, aliaque ejusmodi „contumaciter negat, est hæreticus: „cui doctrinæ innixus, contestata veritate facti, denuncio Sanctitati tuæ „præfatam Jesuitarum hæresim, vel „atheismum.„

„Verum antequam exponam non „paucas earum commissionum, & omissionum cum circumstantiis loci, „temporis, & personarum, & aliis eo „spectantibus, volo asserere Sanctitati „tuæ innocentiam meæ Denunciationis, non tamen ab utilitate ex suppressione hæresis: ea est per se notus: „sed a circumstantiis meæ Personæ. „Nimirum, ab anno 1653. frequenter „in hanc Sententiam de Jesuitarum hæresi scripsi ad S. Congregationem de „propaganda fide, aliisque Ministris S. „Apostolicæ Sedis: nec tamen extitit „unus, qui ullo modo improbaverit „hunc meum Zelum, quem propterea „credo Sanctum, & non displicere.„

„Ante

„Ante annos plus viginti exaravi „ſcripto ad S. Congregationem de pro- „paganda fide quatuordecim commiſ- „ſiones, & omiſſiones, in quibus hæ- „rebant multis annis contumaces Ge- „neralis, & duo Provinciales Jeſuita- „rum, & alii plures cum ſuis Aſſiſten- „tibus & Conſultoribus, quas ſum exe- „cratus, velut involventes hæreſim, „vel atheismum. Illi vero Patres Pur- „purati, cum ex me intellexiſſent, Je- „ſuitas ſpargere, me inde reprehendi, „literis ſuis patentibus, roboratis ap- „preſſione ſigilli, & ſubſcriptione Emi- „nentiſſimi Cardinalis Borgiæ, ultro „laudarunt meum illud Scriptum & „Zelum, ſuaſeruntque conſtantiam in „obſequiis exhibendis Sanctæ Sedi „Apoſtolicæ. Provoco ad Archivium ejusdem S. Congregationis.

Sæc. XVII. A. C. 1656.

„Ad hanc denunciationem fui ali- „quando animatus a Perſona, quam „paratus ſum manifeſtare cum decore „Actionis, quam inſtituo.„

„Patri Wadingo Jeſuitæ, tunc „Pſeudo-Cancellario Univerſitatis Ca- „rolinæ, ſatagenti conciliare Societati „animum meum, promiſi mea humil- „lima obſequia, ſi doceret, præfatas „quatuordecim actiones non eſſe prohi- „bitas ſub culpa mortali: Is vero ſta- „tim, abrupto colloquio indignabun-

Sæc. XVII. A. C. 1656.

„dus se inde proripuit, nunquam postea „a me visus.

„Simili studio post aliquot annos P. „Nicolaus Lancittius Jesuita, Expro„vincialis Lithuaniæ, unacum Barone „Breinero Decano Cathedralis Olmo„censis, in præsentia aliquarum Nobi„lium Personarum, multis suadebat „concordiam cum Societate: cui cum „prælegerem meum scriptum de illis „quatuordecim actionibus, non sufficiebat „nuit finem lectionis, sed illico evasit: „nec meis literis de hoc argumento „ad se datis respondit, nunquam post „hæc a me visus.„

„Cum hæc & alia ejusmodi plura „me stimularent ad denunciandum S. „Sedi Apostolicæ hanc gliscentem, seu „potius grassantem in illa Societate hæ„resim, humiliter ea de re monui, et „nostro Monasterio Romano per Epi„stolam Mutium Vitellescum Jesuita„rum tunc Præpositum Generalem, cu„jus copiam exhibui Urbano VIII. sed „rec. summo Pontifici, necnon & non„nullis Cardinalibus, qui etiamnum „vivunt, exemplarque ejusdem Epi„stolæ destinavi ad glor. mem. Cæsa„rem Ferdinandum II. ut disposita et „tunc Denunciatio juridica esset inno„centiæ, ubi Evangelica correctio nil „effecisset. Nullum a Mutio retuli re„spon-

„ſponſum: nullam in Societate notavi „emendationem.„ Sæc. XVII. A. C. 1656.

„Hiſce igitur aſſeruerim ſufficienter „innocentiam meæ Denunciationis, „velut inſtitutæ ſecundum normam „Evangelii, Sacrorumque Canonum, „ad conſervandam fidei & morum pu„ritatem. Verum ea ſpectat, & meam „incolumitatem, quam velim protectam „contra Jeſuitas, qui propterea me vo„lunt extinctum, imo ſepultum etiam„num viventem, cum tanto dedecore „eorum, quorum protectionem invoco, „ut hoc meum privatum commodum „ſpectet Catholicæ fidei integritatem. „Id vero exponam proximis meis literis.

Inſuper prodiit anno hujus ſæculi ſexageſimo primo, liber, cui titulus: *Valeriani Magni defenſio Catholica adverſus Societatem Jeſu hæreſi vel Asheismo infectam.* Hæc tamen apologia poſtmodum Coloniæ flammis tradita eſt. Interim vero epiſtola in vulgus ſpargebatur, perinde acſi die vigeſima octava Martii ab ipſo Erneſto Principe Rheinfelſa ad Valerianum ſcripta fuiſſet, re tamen ipſa *Jeſuitæ in Principis Perſona* ut ait Valerianus (*), *loquebantur, quos puduit eam exerere ſub ſuo nomine.* In hiſce

(*) Valeriani epiſtola ad Cardinales vid. Apol. Valerian. pag. 63.

Sæc. XVII A. C. 1656. hiſce literis præter alia Princeps hæc ad Valerianum ſcripſiſſe fingitur: *Sutius erit, prout ante monui, ſi Romam eas, atque illic defendas Rheinfelſenſem tuam aſſertionem, non poſſe nimirum Primatum Romani Pontificis (id eſt, jurisdictionem Eccleſiaſticam S. Petro, atque in eo Succeſſoribus conceſſam) ex ſolo ſacro textu probari: ſi cauſſam iſtam peregeris, te reducem, & victorem cum proceſſione excipiemus, ſcriptumque Patris Roſenthal Coloniæ & Moguntiæ publicis flammis deinde exuretur.*

. . . . Mi Valeriane, ſi, quantum tua valeant, experiri cupis, Romam quæſo proficiſcere: Sumptus itineris non tantum ego largiar, ſed & a Superioribus licentiam pro te petam, ut & ſiſtere te poſſis coram ſummo Pontifice Alexandro VII. atque illic cauſſam tuam agere, &c.

. . . . Noli autem exiſtimare, mihi, aliisque cognitam non eſſe cauſſam, cur tibi, cum Ratisbonæ eſſes, Roma mandatum fuerit, ne quos alios libros publicares: interpretaris quidem tu, id ob politicas conſiderationes factum fuiſſe, ne Proteſtantes inde offenderentur; at quæ veriſimilitudo in eo? & cur P. Keddio Jeſuitæ, aut P. Alphonſo Staimos Auguſtiniano talis inhibitio facta non eſt? quorum uterque hic publicis e ſuggeſtu concionibus, aliis multis editis ſcriptis non ceſſabat in iisdem

Conti-

Comitiis Protestantes infestare. Certe risum mihi excusserunt approbationes, & encomia, quæ pro te citasti. Dominus Meshovius quidem, qui alias censuræ librorum præesse non solet, ut & alii Coloniense in lætitia illa, quam de conversione mea conceperant, non fuere parci talium. At quis non novit, quam facile istæ approbationes impetrentur, dum multa in honorem personæ, quæ talia petit, transmittantur: quodsi ad exactam & rigidam incudem revocanda essent, asperiorem censuram vix effugerent.

Sæc. XVII. A. C. 1656.

Literæ autem D. Massarii, qui Congregationi de Pr. f. a secretis est, parum ad rem faciunt: aliter enim per civilitatem vix poterat tibi respondere.

Minus bene etiam erga Patres Societatis affectus (scilicet Massarius) tuo in eosdem odio tanto promptius potuit velificari.

Noli autem existimare, tui caussa non prohibitum fuisse Romæ commentarium tuum: contigisset id haud dubie, nisi prudenti consilio consultius visum fuisset talia supprimere, ne magis curiositas ex prohibitione accenderetur.

Facile hinc apparent motus animi tui: & quidem de te metuendum fuisset post caussam tuam Romæ damnatam.

Vide enim, te multo majores, cum semel laxarunt frena affectibus suis, in quas postea miserias se non præcipites dederint.

Inter

Sæc. XVII. A. C. 1656.

Inter alia autem, quæ in te displicere possunt, jactantia tua ista est, qua nunquam non gloriaris de tua Apostolica ad has Rhenanas partes missione, quam tu quidem cum ipse sollicitaveris, non decebat de ea tantum triumphum agere, & tanquam si multa ex mia patraveris, te efferre. Crede mihi, non ita affectus erat P. Rosenthal. Præstitisti forte aliquid ad Conjugis meæ conversionem, in qua Deus tua opera uti voluit, at extra hanc non est, quod alia tibi trophæa fingas, Baronis Bomburgii conversio ad fidem catholicam falso tibi adscribitur æque, ac mea; uterque enim nostrum plus profecit lectione librorum de fidei controversiis, quam colloquiis Religiosorum, & debemus id donum divinæ miserationi & gratiæ. Non dico hoc ideo, quod me tui pudeat, prout tu id interpretaberis, sed ut veritati patrocinium præstem. De dotibus tuis, quas Deus tibi non temnendas largitus est, plus præsumis, quam debebas, abutens illis ad fastum & vanitatem. Ipse nosti, cum primum me Viennæ apud Amadæum Philitanum Principem vidisti, me jam seminum catholicæ veritatis in pectore fovisse: tu autem ultro per literas operam tuam Romæ obtulisti, ut huc veniendi potestas esset, putabas nimirum pro Dei gloria, aut, quod vereor, pro tua quoque gloria, aliquid magni præstandi occasionem fore.

Debet

Debes autem hoc fortunæ beneficium, quod tres illi Protestantium hæreticorum doctissimi Calixtus, Crocius, & Habertornius, metu aliquo, ne inter se discordes in mutuas rixas prorumperent, Francofurtum venire recusarint, si enim eo venissent, quæso quid de te factum fuisset? Sæc. XVII. A.C. 1656.

Operæ pretium non est, longiori refutationi omnium aliarum tuarum calumniarum, & ineptiarum immorari, quas contra R.Patrem Rosenthal, totamque Societatem effutiisti, &c. Imo securus sum, si quis decimam partem tuorum defectuum monstret, illum a consortio Ordinis istius protinus eliminandum.

Porro Valerianus de hac epistola, quam a Jesuitis confictam existimabat, vehementer querebatur apud S.Cardinalium Congregationem datis ad eam Vienna literis die vigesima septima Maji anno hujus sæculi quinquagesimo nono, ad cujus calcem hæc subjunxit: *His a me relatis probatum volo Vobis (Patres Eminentissimi) vestras prohibitiones, de non edendis meis operibus, animasse, & armasse, animare, & armare hæreticos, & Jesuitas, ad conciliandam mihi infamiam hæreseos, & morum corruptorum, me exarmato: quibus præpeditus talia patior.*

Nec his contentus anno sequenti Mense Novembri suam *Apologiam contra*

im-

Sæc. XVII. A. C. 1656.

impoſturas Jeſuitarum conſcripſit, eamque inſuperhabito mox allegato Pontificis decreto, quo id ſub anathematis pœna prohibebatur, typis edi curavit, atque in ea ipſum ſummum Pontificem in denegatæ juſtitiæ ſuſpicionem trahere non dubitavit: quocirca Praga Viennam vocatus, Nuntium Apoſtolicum acceſſit, eidem declarans, ſe eſſe paratum Judici interroganti reſpondere, & convictum ſe, pœna capitali ſatisfacere accuſanti: cum autem ſummus Pontifex eum in carceres conjici, captumque Romam pro dicenda cauſſa abduci juſſiſſet, hinc, licet podagræ doloribus miſere cruciatus jam ſeptuageſimum tertium ætatis annum egiſſet, a militibus e monaſterio ſuo extractus, in ergaſtulum detrudebatur, a quo tamen paulopoſt per Ferdinandum III. Imperatorem liberatus, Salisburgi annos natus ſeptuaginta quinque pie in Domino obiit.

Rel. verid. de pio obitu P. Valer.

§. CXVIII.

S. Inquiſitionis Decretum de Sinarum ritibus.

Vid. ſupra l. 201. §. 66. t. 61. p. 218.

Quantumvis Pater Joannes Morales ex ordine Fratrum Prædicatorum Miſſionarius Apoſtolicus Innocentii X. decretum circa ritus Senenſes, cujus men-

mentionem ſupra fecimus, ſecum allatum apud Sinas promulgarit, nihilominus refragabantur Jeſuitæ, cauſſati, hæc falſo a Patre Morales fuiſſe relata, Sedemque Apoſtolicam hoc decreto duntaxat intendere, ut de Sinenſium ritibus totaque cauſſa accuratius inſtrueretur. Hunc in finem rurſus Romam decreverunt Patrem Martinum Martinium, qui ſummo Pontifici expoſuit, permittendum eſſe Studioſis Chriſtianis Sinenſibus, ut pro recipiendis gradibus, ritus in Aula Confutii in his actibus uſitatos obſervare valeant, eoquod ibi nec Templum, nec Sacrificulus adeſſet, nec Miniſter cujusdam ſectæ idololatricæ, ſed duntaxat Studioſi & Philoſophi ibidem convenirent, ut Confutium venerarentur tanquam Magiſtrum ſuum, & quidem ejusmodi ritibus, quorum prima inſtitutio ac finis mere civilis eſſet, eædemque ceremoniæ, ac genuflexiones coram Confutii nomine in quadam tabula deſcripto fierent, quæ vivis adhuc Profeſſoribus, Sinenſi more, Diſcipuli præſtare ſolent. Alia quoque dubia de ejusmodi ritibus ſacræ Congregationi de Propaganda Fide adeo artificioſe proponebantur, ut nullam ſuperſtitionis labem præſeferre viderentur. Totum hoc negotium ab Alexandro VII. Congregationi S. Inqui-

Sæc. XVII. A.C. 1656.

Sæc. XVII. A. C. 1656.

ſitionis commiſſum, a qua die vigeſima tertia Martii juxta Relationem eorum, qui hos ritus tanquam ab omni ſuperſtitionis ſpecie alienos exponebant, Sinenſibus Catholicis permiſſum eſt, ut Nationis ſuæ ritus utpote mere politicos Confutio, ejusque Parentibus defunctis, præcipue, ſi absque totius ſuæ familiæ excidio ejusmodi ritus declinare non valeat, exhibere poſſent, dummodo adverſus id omne, quod ſuperſtitionem redoleret, palam reclament. Hoc Congregationis Decretum Alexander VII. hoc anno approbavit, quo Innocentii X. deciſionem revocaſſet, eo quod ambo hæc decreta ſibi invicem non repugnent, utpote ſecundum diverſas rituum Sinenſium expoſitiones, & varias ipſius facti relationes: in quibus utpote meri facti quæſtionibus Papam eſſe infallibilem, nemo unquam ſomniavit, cum nullus Pontifex, nec alii abſentes, qui Eccleſiam univerſalem repræſentant, de aliquo facto aliter quam ad fidem referentium judicare valeant, ambo autem de ipſo dogmate conformi ac infallibili judicio decreverint, omnem ritum Deo debitum, ſi creaturis exhibetur, eſſe idololatricum: proin ſi ut idololatricus a Viris fide dignis exponitur, ab uno Pontifice damnari, ab alio ob contrariam relationem

per-

permitti potuit, nulla alia culpa in Pontifices redundante, nisi quod ut homines aut delusi fuerint, aut uni parti, non satis audita altera, nimium faciles præbuerint aures; nunquam vero Pontifices imo ne ipsa quidem Ecclesia de lumine Spiritus Sancti, & Apostolicæ infallibilitatis dono, in quæstionibus, quarum veritas a mero hominum testimonio dependet, gloriabatur, uti tamen post sedulam lectionem & examen gloriari potest, ubi agitur de quæstione, an hæretica doctrina in hoc vel illo libro contineatur? Sæc. XVII. A. C. 1656.

Ceterum referunt Societatis Historici, quod idem Alexander VII. Papa eo tempore literis ad Helenam Imperatricem, Yumlie Imperatoris Conjugem datis, rituum Sinensium praxin a Jesuitis observatam confirmarit: verum fides sit penes hosce Historicos. Utut res se habuerit, id omnino certum est, quod *dubia circa hosce ritus per Martinum Alexandro VII. Papæ proposita*, ut ait Carolus Maigrot Fokiensis in Regno Sinarum Vicarius *Apostolicus*, *multis in rebus non fuerint vera, ac proin Missionarii responsis a Sede Apostolica recte quidem & sapienter ac juxta circumstantias in dubiis expressas datis, inniti non potuerint ad usitatum apud Sinas Confucii & Progenitorum cultum permittendum*: unde

In ejus mandato die 26. Martii 1693. ex oppido Changlo Prov. Foki.

Sæc. XVII. A. C. 1656.

etiam anno 1661. die decima tertia Novembris a S. Congregatione de Propaganda fide declaratum, quod utrumque decretum de ritibus Sinensibus in suo vigore persistat, ac juxta quæsita, & circumstantias diversimode expositas verum sit.

§. CXIX.

Venetorum victoria de Turcis.

Nani Hist. Venet. l. 7. Tuld. Hist. Europ. l. 6. pag. 215.

Erat equidem hic annus Reipublicæ Ducibus oppido exitialis; eorum enim duo intra trimestre fatis cesserunt; postquam enim Contarenus die vigesima octava Aprilis mortalitatem exuerat, Franciscus Cornarus die secunda Maji eidem subrogatus vigesimo post die e vivis excessit, cui die decima sexta Junii successit Bertuccius Valerius, ad Rempublicam novis victoriis nobilitandam reservatus: Hic enim, sub Architalasso Laurentio Marcello, sexaginta quinque navigiis validam classem instruxit, adjunctisque septem Melitensium triremibus, quas Caraffa regebat, bellum contra Turcas toto ardore prosequi statuit. Ejus igitur imperio Marcellus Hellesponti fauces arcis obsedit, navibusque circum positis, ne Turcæ annonam, recentemque militem in Cretensem Insulam inveherent, sol-

licito

licite impedivit: nihilominus prope Sinam supremus Turcicæ classis Præfectus die vigesima sexta Junii Venetas naves aggredi decrevit. Fit illico pro more hujus gentis dissonus diversissimarum vocum tumultus, mixtoque tympanis cornuum, tubarumque concentu classicum vario elatoque aeris renisu personat; reboant ex castellis, & aggeribus laxata belli tormenta: ne vero quid minus Veneti agere viderentur, aut trepidationis calumniam incurrerent, ingentem festivamque regerunt conclamationem, magnæ ad pugnam aviditatis testimonium. Præceteris Marcellus parva vectus cymba nunc milites, nunc remiges, interdum singulos Duces, sæpius universos accedendo ad strenuam sui defensionem stimulabat, cunctos hortatus, ut nunc, nunc concepti quisque spiritus, nunc ardoris proximi meminissent, & Veneti decoris, cujus curam sibi concreditam nossent. Adhuc loquebatur Marcellus, cum jamjam Turcæ, secundo ventorum flatu usi, primum in Venetos impetum urgent, mox vero Lazarus Mocenigus cum sua Prætoria navi in latus hosticæ classis, transverso remorum impulsu violenter impingit, & id quidem opportunissimo ceterarum navium concursu, quo Turcarum Architalassus

Sæc. XVII. A.C. 1656.

Sæc. XVII. A. C. 1656.

sese ad castella, uti animo conceperat recipere, prohibitus, exterarum navium, cum e portu haud solvere possent, opem sperare non potuit. Tum vero concors Venetorum insultus in Turcarum classem factus est, ubi ipsa Marcelli Prætoria navis, licet nimio æstu in ipsam prope ad Abydum stationem adversus hostes abrepta esset, majoris tormenti ictu concussa Nicolaum de Mezo, aliosque tres comprobatæ virtutis Tribunos amisit, inde autem magis inflammata animorum indignatione Marcellus in validissimam Turcarum navim irrumpit, eaque subacta aliam insequitur, ac certamine in tertium diem prorogato tam horrendam globorum & flammæ tempestatem in Thracicam classem effundit, ut magnam partem incensa absumeretur; magni tamen stetit Venetis prosper hic successus; quippe Laurentium Marcellum, dum militis æque ac Ducis partes obibat, globus æneus tubo grandiore excussus in frusta discerpsit, plurimum dolentibus cunctis tanti Viri interitum; solus autem oculis siccis luctum premebat Joannes Marcellus ejus Cognatus, qui ne quid incommodi classis Veneta, cognita sui Architalassi morte caperet, Badoerium in defuncti locum subrogavit, non pœnitendo selectu. Hic enim

enim jacturam multo vulnere, hostium- Sæc. XVII.
que clade ulturus, mox generoso pe- A.C. 1656.
riculi contemptu in Prætoriam tam auspicato irruit, ut Turcarum Architalasso, ne Mocenigi navibus cingeretur, propudiosa fuga cum quatuordecim triremibus ad castella sese recipere coacto, Turcarum quamplurimi suo Ductore destituti partim a Venetis capti, partim aquis hausti perirent: insequitur fugitivas naves Lazarus Mocenigus, tanta virium contentione, ut inito certamine hostem propelleret, quamvis ipse oculum bombardæ globo excussum suamque navim amitteret: Tandem vero dissipata Turcarum classe, victoria penes Venetos stetit, qui occupatis tredecim triremibus, sexque majoris molis navigiis, & quinque myoparonibus, ceteras naves aut in litore hærentes, aut remis velisque destitutas, lacerasque sibi subjecerunt. Periere Turcarum decem millia, aut ferro absumpta, aut undis hausta, captisque quingentis, Christianorum quinque millia a dira servitute liberata. Ex Venetis nonnisi trecenti fuere desiderati. Tantulo impendio tam ingens Venetis stetit victoria, cujus præmium erat Tenedos Insula decimo quarto obsidionis die a Venetis expugnata: accessisset etiam Lemnos Insula, si vel tentata fuisset,

Sæc. XVII. A. C. 1656. nec Veneti una Insula securius quam duabus incerto frui maluissent.

§. CXX.

Eleonora Imperatrix Pragæ in Bohemiæ Reginam inaugurata.

Orth. Chron. Hung. p. 173. Interim Ferdinandus III. Imperator exeunte Mense Julio Pragæ comitia habebat, in quibus præter belli subsidia Proceribus commendabat, ut Catholicam religionem restaurari, atque administrandis Paræciis dignos Pastores præfici curarent: postea die vigesima octava Augusti ipsemet Cæsar una cum Eleonora Conjuge sua & Leopoldo Ignatio Hungariæ Rege ac Leopoldo Guilielmo Archiduce Pragam rediit, ubi Imperatrix die undecima Septembris Bohemici Regni insignibus ab Ernesto Adalberto de Harrach Cardinale & Archiepiscopo Pragensi ornata est. Publica lætitia haud parum augebatur fausto nuntio, quo Cæsari significatum, quod Georgius Francipanus Comes Turcas, qui trajecto Danubio Croatiam invadentes, abductis secum Erdeödio Comite, ejusque Conjuge, rursus Mense Augusto irruptionem fecerant, cum nongentis Hungaris fuderit, fugaritque, & præter plures alios, tres Tribunos, ipsumque Bighatiensem Gubernatorem captos

captos unacum tribus vexillis abduxerit: Accepta hac clade Turcarum Imperator, etsi ejus copiæ non ita pridem iteratis invasionibus, ac incendiis Hungariam devastassent, nihilominus Legato ad Imperatorem misso querebatur, quod Hungari, & præcipue Buchemius, Forgatsius, aliique Belliduces violata pace hostiles incursus tentassent, acceptoque nuntio de illata apud Helespontum nupera clade Turcarum potentiam insolentius contempsissent: his ergo ausibus ut Cæsar obicem poneret, Legatum suum Constantinopolin decerneret. Insuper Mense Decembri ad finem vergente alius Orator a Turca Viennam missus vehementer adversus Hungaros expostulabat, eo quod hi nonnullos Turcicæ gentis Mercatores prope Comoram suis mercibus & vita spoliassent: postquam vero Cæsar plenam satisfactionem pollicitus erat, hic Orator Vienna discessit.

Sæc. XVII. A.C. 1656.

§. CXXI.

Sueci a Polonis cæsi.

Cum Casimiri Poloniæ Regis, ac in Silesia exulis res omnino deploratæ viderentur, inter medias desperationis nebulas melioris fortunæ spes affulsit; postquam enim Carolus Sueciæ

Tuld. l. c.

Sæc. XVII. A. C. 1656.

Rex Varsoviæ, & Casimirus Luboviæ in finibus Silesiæ comitia habuere, Poloni ex desperatione vires haurire, ac sibi, suæque libertati pugnare decreverunt: Itaque Cæsarnecius collectis undique copiis trans Vistulam ad Golombos movit, verum a Wittembergio & Duglasio fusus, Samosiam usque profugere compulsus est. Hac victoria elatus Sueciæ Rex, Jaroslaviam contendit, Præmisliam urbem obsessurus. Tanta autem erat obsessorum virtus, & civium pietas, ut Sueci Catholicorum armis piisque ad Deum votis expugnati, non sine magna strage obsidionem solvere cogerentur: die etiam duodecima Martii Cæsarnecius restauratis viribus Ecclesiæ Catholicæ, Regisque rem in Polonia ferme deperditam restituere cæperat; inito enim prælio Carolum Regem prope Jaroslaviam tanta affecit clade, ut sæpe inclusus, tandemque elapsus, non victus duntaxat, sed & fugitivus Varsoviam sese recipere compelleretur: Prospero hoc successu ad majora accensus, novisque militum supplementis auctus Cæsarnecius, Marchionis Durlacensis copias ad Varicam profligavit, trajectoque Pilcæsa amne Gedanenses Catholicos, qui immota in Cæsarem fide eminuerunt, obsidione liberavit, cæsisque ad Vartham flumen Suecis,

Suecis, ac Megalopolitani Ducis copiis Varſoviam obſidere cæpit; quo comperto Carolus Rex omnem Poloniæ prædam, quam in hanc urbem convexerat, ſecundo flumine in Pruſſiam regalem deferri juſſit; Poloni autem hujus mandati haud ignari, conjectis in Viſtulam multis & grandibus arboribus fluvium innavigabilem reddentes, non modo prædam, ſed ipſam quoque urbem recuperarunt. Tum vero res Polonica feliciorem curſum tenere cæperat; poſtquam enim Carolus Rex & Brandeburgicus Marchio, qui ſuas copias Suecis junxerat, ante Varſoviam Cæſarnecii exercitum delere paraverant, pugna in tertium diem continuata victoriam quidem ſibi adjudicabant, adeo tamen cruentam, ac funeſtam, ut cladi internecinæ haud abſimilis eſſet: quocirca Caſimirus ab hoſte nil ultra ſibi metuens, honeſtas cum Moſcho conditiones pepigit, illisque nonniſi Smolenskum urbem cedens, totam Lithuaniam, Podelaſſiam & Ruſſiam Nigram recuperavit, demum vero die decima quinta Novembris a Gedanenſibus ſumma lætitia, ac pompa exceptus, ſuorum fortitudine, concordia & fide potentiſſimos quoque hoſtes devinci poſſe intellexit.

Sæc. XVII. A. C. 1656.

§.CXXII.

Sæc. XVII.
A. C. 1656.

§. CXXII.

Alexandri VII. Papæ Jubilæum Universale ad implorandam Dei opem in præsentibus Ecclesiæ necessitatibus.

Bullar. Magn. Alexander VII. Const. 23.

Cum universus pene Christianus Orbis non modo bellis, sed aliis etiam calamitatibus afflictaretur, Alexander VII. Pontifex ad avertenda ejusmodi mala intentus, singulos Christi Fideles ad placandum Deum excitabat, oblata anni sacri gratia: Hanc in rem sequens promulgavit diploma die vigesima prima Julii.

Universis Christi fidelibus præsentes literas inspecturis Salutem, & Apostolicam benedictionem.

„E suprema militantis Ecclesiæ specula mentis Nostræ aciem quaquaversum intendentes, & assiduas gregis „Nobis ex alto crediti calamitates attente contemplantes, crebra ex imo „corde suspiria, & uberes ex oculis lacrimas fundere cogimur. Cujus enim „vel ferreum pectus non commoveant „hodiernæ Orbis Christiani miseriæ? „Urget vel maxime pertinax inter „Principes Catholicos bellum, cui componendo frustra hactenus visa sunt esse „huma-

„humanæ prudentiæ consilia. Ad Orien- Sæc. XVII.
„tem piissimæ Reipublicæ ditiones de- A. C. 1656.
„cennali bello a Turcarum Tyranno in-
„festantur. Exutus ad Septentrionem
„Regni sui parte hæreticorum armis
„Rex Orthodoxus, neque tuti ab eo-
„rum odio & potentia aliorum fines.
„Sævit ad Meridiem dira epidemiæ
„lues, quæ & vicinos depopulatur, &
„huic Urbi veræ Religionis capiti im-
„minere videtur. Ubique terror, ubi-
„que malorum impendentium formido,
„ita ut si unquam, certe nunc gravem
„Domini manum sentiamus, flagitiis
„hominum ejus iram jugiter provocan-
„tibus. Cui placandæ licet privata
„Nostra, & aliorum Sacrificia, & pre-
„ces sine intermissione adhibere non
„desistamus, promptius tamen id a di-
„vina misericordia Nos consecuturos
„arbitramur, si Nostris omnium Christi
„fidelium orationes, purgatis per salu-
„tarem veræ pœnitentiæ Medicinam a
„colluvie peccatorum animis, jungan-
„tur: Clemens est enim & misericors
„Deus Noster, & propitiatur cunctis
„invocantibus eum in veritate. Hoc
„autem ut fructuosius fiat, & majori
„cum spiritus ardore peragatur, ex ve-
„teri Ecclesiæ Romanæ omnium Ma-
„tris, & Magistræ more ejusdem Ec-
„clesiæ thesauros, quorum Dispensato-
„res

Sæc. XVII. A. C. 1656. „res a Domino constituti sumus, pro„ferre, & erogare decrevimus.„

Postmodum pia opera a singulis peragenda, necnon Ecclesias ab illis visi„tandas præscripsit.

§. CXXIII.

Mira Puellæ sanatio per Sacram Spinam impetrata.

Choiſ. mem. ſur la Relig. Not. 3. in epiſt. 16. Prov.

Hoc item anno ex Portu Regio dispergebatur rumor de quodam prodigio, de cujus veritate sponsorem agere, instituti nostri ratio haud deposcit, rem tamen, prout contigisse refertur, recensere, Historici munus non excedit. Cruciabatur vehementissimis oculorum doloribus Margaritha Perriera Claromontani Consiliarii Filia, & famosi Pascalis Neptis, quæ nonnisi novem annos nata apud Moniales Portus Regii educabatur: Augebatur indies malum tanta violentia, ut humor viscosus ex sinistro oculo defluens, narium ossa in cariem verteret, & palatum inficeret, imo ipsum quoque guttur jamjam infestaret: eludebat vis mali omnem artis medicæ opem, ulcusque tam nocivum exhallabat fætorem, ut infirmam a ceterarum consortio sejungere necesse esset, ac ipsemet illius Parens jamjam sese itineri accingeret, proximæ inci-

sioni,

Sæc. XVII. A. C. 1656.

ſioni, quam tres peritiſſimi chirurgi Pariſienſes omnino neceſſariam cenſebant, interfuturus. Sub idem tempus quidam Sacerdos nomine Potterius ſe inter alias S.Reliquias Spinam ex Chriſti Domini corona habere gloriabatur. Hæc ex pio plurium Monialium deſiderio, votoque ad varia earum Aſceteria circumferebatur, atque etiam hoc anno die vigeſima quarta Martii ad Portum Regium, ubi vero omnes Moniales, ceteræque puellæ earum curæ concreditæ haſce reliquias pie venerabantur, inter ceteras quoque infirma hæc puella magnam ad fiduciam excitata ſacram Spinam pio oſculo colebat, quo facto ad ſuum cubile reverſa, mox oculum ſuum ab omni tumore, ulcere, & tabe, nequidem relicta cicatrice, liberum, ſanumque ſenſit, non ſine maximo omnium ſtupore: nihilominus Abbatiſſa nomine Maria ab Angelis hoc prodigium cauto ſilentio premendum cenſuit, quarto autem poſt die Dalenceus Chirurgus ad Monaſterium delatus, infirmam inviſit, cumque integre ſanatam cerneret, totiusque rei ſucceſſum intelligeret, Guillardum & Graſſeum itidem chirurgos eadem die ſecum ad Aſceterium conduxit, qui unaomnes ſtupefacti non arte humana, ſed ope Divina tam ſubitaneam

Sæc. XVII. A. C. 1656.

neam sanationem fuisse factam testabantur: Divulgato per urbem prodigio Regina Mater Felicem Chirurgum Regium ad Monasterium ablegabat, qui ex tribus nominatis chirurgis originem, progressum, hujusque mali finem, statumque sedulo perscrutatus, nec naturæ, nec artis medicæ viribus hanc puellam adeo integre sanari potuisse retulit: idem erat utriusque Vicarii Parisiensis, Buvardi Regii Medici, aliorumque plurium Medicorum ac Chirurgorum testimonium, judiciumque: Rem quoque exacte discusserunt Sorbonæ Doctores, ex quorum sententia die vigesima secunda Octobris pronuntiata hujus prodigii veritas fuit approbata, decretumque, ut deinceps singulis feriis sextis hæc Spina in Portus Regii Ecclesia publicæ fidelium veneratione exponeretur. Non deerant tamen quamplurimi, qui de hujus sanationis veritate dubii varia ediderint scripta, in quibus Moniales de commissa fraude postularunt, obtendentes, quod infirmæ loco, ejus Soror, quæ in eodem Monasterio educabatur, chirurgis, aliisque fuerit exhibita: alii hanc sanationem non fuisse integram, sed malum majori, quam unquam, violentia recruduisse, ac puellam ex fluxione pectus infestante morti proximam asserebant.

rebant: prodiit etiam libellus a Patre Francisco Annato Jesuita, ut creditum, compositus sub hoc titulo: *Triste gaudium Jansenistarum, seu Animadversiones in miraculum, quod in Portu Regio contigisse dicitur: Auctore quodam Ecclesiæ Catholicæ Doctore.* In hoc libro Auctor „hoc prodigium, si tamen tale sit, a „Deo apud Moniales Janseniana do„ctrina infectas, atque in earum Mo„nasterio ideo patratum asserit, ut Chri„stum pro omnibus omnino hominibus „mortuum fuisse, eis manifestum fieret, „de cetero autem fideles earum Eccle„siam frequentare vererentur, ne cor„poris sanationem quærentes animæ „ruinam inveniant.„ E contrario autem Choiselius primum Convennensis, postea Tornacensis Episcopus hoc miraculum in suo libro, cui titulus: *commentaria in Religionem* recensens, hæc inquiebat: *hujus puellæ innocentia, testiumque sinceritas, numerus, & habilitas me de veritate hujus miraculi adeo convincunt, ut non modo pertinax, sed & temerarius ac insanus essem, si de eo dubitarem; adeo enim subitanea sanatio, teste Dalenceo non inferius miraculum, quam mortui resuscitatio esse videtur.* Fertur quoque, quod Benedictus XIII. in tertio tomo Homiliarum in Exodum, quem eo adhuc vivente quidam ex Ordinis FF.

Sæc. XVII. A. C. 1656.

Sæc. XVII. A. C. 1656.

Prædicatorum unacum primis duobus tomis composuit, typisque vulgavit, hoc miraculum suo quoque testimonio corroborasset: Ut ut autem sit, tam Jansenistarum Patroni, quam eorum hostes in eo culpandi videntur, quod hi prodigii veritatem impugnent, quia in Monasterio Monialium de Jansenismo suspectarum patratum dicitur, illi vero jactitare audeant, quod Deus hoc miraculum ad testificandam hujus Domus sanctitatem, doctrinæ puritatem, & puellas instituendi methodum patrare voluerit; si enim hæc spina, vera fuit Spina ex Christi Domini corona, accedente viva fide, & novennis puellæ innocentia hoc miraculum, haud obstante ceterarum Monialium rebellione adversus Ecclesiam, vere patrari potuit; non enim ad recipienda dona, ut vocant, gratis data requiritur in recipiente vitæ sanctitas, aut fidei puritas: ineptius vero Jansenistæ Deum hoc miraculo suam doctrinam, ac Portus Regii sanctitatem testatam reddidisse jactitant; non enim Deus Templi Jerosolymitani sanctitatem prodigiosa veli scissione commendare, miraculosa Malchi sanatione iniquam Christum capiendi voluntatem vel Judæos esse fideles probosque Christi servos testari voluit: præterea nequaquam innocens

cens hæc puella Janſenii doctrinam, & Janſeniſtarum interpretationes circa quinque propoſitiones approbari a Deo per has reliquias petiit, ſed unice, ut a ſuo malo liberaretur; vera enim miracula ſunt Dei linguæ & ſigna, quibus ſuam omnipotentiam, ſuumque amorem erga homines, atque utilitatem eorum, ut ipſum glorificent, quandoque etiam per perverſos homines manifeſtat: nunquam vero mali, qui doctrinam falſam enuntiant, vera patrare poſſunt miracula ad confirmationem falſæ doctrinæ (*) ergo Janſeniſtæ, ſi damnatam ab Eccleſia doctrinam profitentur, etſi haſce reliquias infirmæ puellæ applicuiſſent, hoc miraculum, ſi verum fuit, ad confirmandam ſuam doctrinam factum fuiſſe, jactitare non poſſunt; plurima enim miracula Deus in Judæis, gentilibus & hæreticis ac peccatoribus operatus eſt, quin propterea eorum ſuperſtitiones, errores & crimina approbarit: denique *finis curationis exterioris per Chriſtum facta eſt curatio animæ*, quam in hac puella pie credimus; in Portus Regii vero incolis, durante repugnantia adverſus Eccleſiæ judicium, aſſerere non audemus. Hujus equidem miraculi veritatem diſcutere, noſtrum

Sæc. XVII. A.C. 1656.

(*) S. Thom. 22. q. 178. art. 2. ad 3.

Sæc. XVII. A. C. 1656.

non est, illud tamen ad confirmandam Jansenistarum oppositionem fuisse a Deo perpetratum, dicere exhorrescimus: si autem verum fuit prodigium, novum Sacras Reliquias venerandi argumentum Catholicis fuit suppeditatum, si vero falsum exstitit, ad propriam confusionem de eo gloriantur Jansenistæ, nam teste Augustino (*) etiam *Antichristi opera dici possunt, esse signa mendacia, vel quia mortalis sensus per Phantasmata deceptus est, ut quæ non facit, facere videatur, vel quia si sint vera prodigia, ad mendacia tamen pertrahent credituros.*

§. CXXIV.

Petri Donati Cæsii Cardinalis obitus.

Ciacon. in vita Urban. VIII. t. 4.

Ex Purpuratorum Collegio hoc anno quatuor decessisse comperimus, & primo quidem obiit Petrus Donatus Cæsius patria Romanus, qui adolescens Patrum Oratorii curæ commissus, Romæ in pietate & literis adeo profecit, ut spretis, quas generis nobilitas, & parentum favor amplissimos offerebat, mundi illecebris sacræ militiæ nomen daret, & Jurisprudentiæ lauream promere

(*) S. Aug. l. 20. de Civit. Dei c. 19.

mereretur. Postmodum ad varias Abbatias promotus a Paulo V. Protonotarius, & ab Urbano VIII. Cameræ Clericus, Ecclesiæ Toletanæ Canonicus, necnon Ecclesiæ Thesaurarius renuntiabatur, quo munere functus, ut cunctis fraudibus obviaretur, Regulas a Thesaurariis servandas edidit, tandem vero sacro Collegio adscriptus, in variis Congregationibus sua obsequia Sedi Apostolicæ utilissima dicavit, donec hoc anno die trigesima Januarii anno ætatis suæ septuagesimo primo ad æternam requiem properaret, sepultus in Ecclesia S. Praxedis.

Sæc. XVII. A. C. 1656.

§. CXXV.

Francisci Cherubini Cardinalis mors.

Alter erat Franciscus Cherubinus patria Picenus, qui utriusque juris scientia clarus, Romæ Caussidicum longe celeberrimum egit, ac Pontificii Auditoris dignitate honoratus, ab Innocentio X. Papa Presbyter Cardinalis, ab Alexandro autem Papa Senogaliensis Episcopus nominabatur, quam tamen Ecclesiam vix regendam suscepperat, cum jamjam anno nondum exacto die vigesima Aprilis, annos natus septuaginta & unum, a sua Sponsa mortis

Ciacon. in vita Innoc. X.

Sæc. XVII. A. C. 1656

tis invidia ſepararetur, ſepultus in Ecclesia ſua Cathedrali.

§. CXXVI.

Dominicus Cecchinus Cardinalis mortuus.

Purp. doct. l. 6. p. 393.

Sequentis Menſis Maji die prima Cherubinum pari fato ſequebatur Dominicus Cecchinus Romanus, qui natalium ſplendore ac generoſa indole cunctis charus, adoleſcens optimæ exſpectationis ſpecimina præbuit; vix enim decimum ſextum ætatis ſuæ annum compleverat, cum jamjam utriusque juris Doctor laureatus, Romam reverteretur, ubi ob virtutum merita, ac ſcientiæ famam ad honores & Romanæ Curiæ dignitates planam ſibi ſtraviſſet viam, niſi præmaturus Clementis VIII. obitus vix non certas ſpes intercidiſſet, quæ tamen regnante Paulo V. aliquantulum ex Caffarelli Nepotis Pontificii patrocinio reflorescere videbantur; brevi tamen pro innata fortunæ inconſtantia Cecchinus amiſſa Pontificis benevolentia Cauſſidicum agere compulſus eſt: obeunte autem Paulo V. & Gregorio XV. ad D. Petri Cathedram promoto, nova ſpes Cecchino affulſit; ab eodem enim Pontifice Aulæ Conſiſtorialis, Vice-Gubernator Fi-

Firmanus, Avenionenſis Pro-Legatus, & Canonicus S. Petri renuntiabatur: quibus in muneribus cum improbam in ferendis laboribus aſſiduitatem, prudentiam, atque integritatem ſingularem exhiberet, ab Urbano VIII. tum publicis tum privatis negotiis adhibebatur, ubique egregiam pietatem, gravitatem, raramque in rebus gerendis dexteritatem præſeferens, ſemper fidelis, ſemper magnanimus, & in utraque fortuna ſemper idem. Hinc ab Innocentio X. Cardinalis ac Datarius deſignabatur, quod munus, poſtquam per plures annos cum dignitate ſuſtinuerat, a Maſcambruno Pro-Datario contemptus ipſo approbante Papa abdicavit. Erat is ex illis Cardinalibus, quos idem Pontifex pro examinandis Janſenii erroribus ſelegerat; nota enim erat Innocentio hujus Viri eruditio, doctrinæ profunditas, ac rerum Theologicarum cognitio. Tandem vero Cecchinus anno ætatis ſexageſimo octavo poſt tot labores impigre exantlatos Romæ in Domino quievit: Deſcripſerat ipſemet fuſiori calamo varias vitæ ac fortunæ ſuæ viciſſitudines.

Sæc. XVII. A. C. 1656.

Sæc. XVII.
A. C 1656.

§. CXXVII.

Theodori Trivultii Cardinalis extrema.

Postremus ex Cardinalibus hoc anno denatis erat Theodorus Trivultius Nobilis Mediolanus, qui adhuc puer Patre suo orbatus, sub Matris prudentissimæ Matronæ tutela literis ac pietate apprime imbutus, omnium in se admirationem, amoremque rapiebat. Adultior factus Philippi III. Hispaniarum Regis castra secutus, egregia magnanimitatis specimina edidit, propterea a Ferdinando II. Cæsare opulento Principatu auctus. Mortua autem Monachi Principis Filia, quam sibi Conjugem duxerat, sacræ militiæ nomen dedit, atque Doctoratus laurea in utroque jure decoratus, ab Urbano VIII. primo Cameræ Apostolicæ Clericus & Protonotarius ac demum Cardinalis Diaconus renuntiabatur: Paullopost Piceni Legatione defunctus in Hispaniam se contulit, ubi Pro-Rex Aragoniæ, Siciliæ & Sardiniæ Regni non sine maxima Hispani Regis satisfactione administravit, necnon Mediolanensis Prætor designatus, Regium jus in hac Provincia contra hostes strenue defendit, tandem vero ineunte

Mense

Mense Martio hoc anno vel ut alii volunt, anno sequenti, ætatis suæ quinquagesimo nono fatis cessit. Sæc. XVII. A. C. 1656.

§. CXXVIII.

Variorum Principum atque Illustrium fata.

Hunc annum Principum nonnulli vitæ suæ funestum atque exitialem habuere: Hos inter primus erat Joannes IV. de Braganza Lusitaniæ Rex, qui Lusitanis contra Hispanos rebellantibus, delatum sibi Regnum acceptabat, illudque per sexdecim annos adversus domesticos hostes feliciter rexit; tandem vero gravi morbo correptus, Ulissipone die sexta Novembris decessit, cui Alphonsus IV. primogenitus ejus Filius die decima quinta Novembris successit, qui adhuc sub tutela Matris suæ, quæ Medinæ Sidoniæ Ducis Soror erat, adolevit, atque ab eadem, utpote Matrona ultra sexum magnanima, animum ad magna natum hæreditavit. Obiit insuper Dresdæ die decima octava Octobris Joannes Georgius I. Saxoniæ Elector, qui Bohemorum rebellionem execratus, Cæsari opem tulit, ab eo autem defecit, cum Catholicam fidem restaurari cerneret; inde vero haud aliud tulit emolumentum,

Chemnitz Deutsch. Krieg. Müll. Annal. Sax.

Sæc. XVII. A. C. 1656.

tum, nisi quod ejus ditiones a Suecis simul & Cæsareis devastarentur: Successit eidem Joannes Georgius ejus Filius primogenitus ex Magdalena Sybilla Brandeburgica susceptus: Item Thomas Sabaudiæ Dux Taurini die vigesima secunda Januarii febri correptus fato functus est in obsidione Ticinensi. Mortuus quoque est ex calculo Ericus Oxenstirnius Suecus, vir in politicis versatissimus, & magnæ prudentiæ laude insignis.

§. CXXIX.

Diversæ Alexandri VII. Pontificis Constitutiones.

Bull. magn. Alex. VII. Const. 14. & seqq.

Præter Constitutionem adversus Jansenium editam Alexander VII. Pontifex Maximus plures hoc adhuc anno Bullas promulgavit, ac præprimis, ut corruptelas in urbe grassantes eradicaret, ac Cleri populique mores corrigeret, ipsemet unacum quibusdam Cardinalibus ad id selectis Ecclesias, Monasteria, aliaque pia Romanæ Urbis loca visitare constituit, utque prosperum pastoralis hujus curæ successum sibi a Deo polliceri posset, quadragintahorarum orationem haberi præcepit, ac plenariam indulgentiam elargitus est. Die autem decimo tertio Aprilis con-

consuetam Bullam Cænæ innovavit, necnon vigesima octava ejusdem Mensis Congregationem Canonicorum Regularium Sancti Spiritus Venetiarum suppressit, eorumque bona in alios pios usus convertit, eoquod hæc Congregatio ad unicum tantum Monasterium fuisset redactum, atque a primævo suo instituto penitus deviasset, eademque ex caussa Ordinem quoque Fratrum Cruciferorum extinxit, simulque die secunda Maji anathematis pœnam decrevit in eos, qui pro obtinenda gratia aut justitia apud Curias Romanas aliquid vel recipiunt, vel promittunt, vel elargiuntur. Insuper die undecima Octobris confirmavit privilegia Fratrum Ordinis B. Mariæ de Mercede.

Sæc. XVII. A. C. 1656.

§. CXXX.

Quædam S. Congregationum Decreta.

His quasdam Sacrarum Congregationum Romanarum decisiones subjungere lubet, & primo quidem Sacra Episcoporum Congregatio Ordinario dedit Facultatem transferendi ad alias Ecclesias onus Missarum, quas Testator reliquit a Presbyteris sæcularibus ad Hæredis arbitrium in Ecclesiis Regularium celebrandas, si ipsi Regulares consentire nolint, ut per Sacerdotes

Decret. S. Congi Rit. Episc. &c.

Sæc. XVII. A. C. 1656.

tes sæculares celebrarentur, postea a Alexandri VII. Pontificis mentem die vigesima tertia Maji declaratum, quod Facultas absolvendi ab hæresi in Jubilæis, vel aliis similibus concessionibus non censeatur comprehensa, nisi precisis verbis concedatur: die autem decima Junii Sacra Rituum Congregatio decidit, quod Capellanus Curatus ratione stolæ in funeribus præcedat etiam alios quoscunque Sacerdotes Curatos.

§. CXXXI.

Scriptorum Catholicorum decessus & opera.

Dupin nouv. Bibl. des Auth. Eccl. t. 17. p. 272. Alegamb. Bibl. Script. S. J.

Quorumdam Scriptorum, qui hoc anno obiere, opera recensere exordit, atque inter ceteros primo commendatur Didacus Antonius Urnigotus Balbastrensis Episcopus, qui posteris reliquit tractatum de competentiis jurisdictionis inter Curiam Ecclesiasticam, & profanam, Pastorale Regularium, Forum conscientiæ, & librum de intrusione. II. Didacus Ursenus Ord. S. Basilii edidit quadragesima volumina Sermonum, Historiam Abrahæ, Isacci, Jacobi & Joannis Evangelistæ, præter fasciculum conceptuum. III. Fortunius Licetus scripsit de monstris

ſtris, de immortalitate animæ, de lucernis & antiquis annulis, necnon de fluminum natura. IV. Hieronymus Coppola Clericus Regularis edidit ſermones de Deiparæ privilegiis, de Puritate ejusdem, necnon Biblia Mariana, quæ tamen morte præventus abſolvere haud poterat. V. Hieronymus Bignon, qui decimo ætatis ſuæ anno elucubravit deſcriptionem Terræ Sanctæ, & tertio poſt anno antiquitates Romanas, & biennio poſt tractatum de electione Pontificum, & de excellentia Regum Franciæ contra Didacum Valdez præter annotationes in Marculfum. VI. Ignatius Derkennis Jeſuita, ſcripſit poſitiones de Deo, Eucharistia, gratia, libero arbitrio, & prædeſtinatione, contra Janſenium. VII. Paulus Oliva ejusdem Societatis Generalis edidit Conciones plurimas, & commentarios in Geneſin & Cantica præter epiſtolas Paſtorales ad ſuos Socios. VIII. Eduardus Knox ſeu Knottus itidem Socius, qui tamen vero nomine vocatus Matthias Wilſonus, ſub ementito nomine Nicolai Smithei edidit diſcuſſionem aſſertionum Kelliſonii, qua in ſuo de Eccleſiaſtica Hierarchia tractatu probare conatur. Jam ſupra de famoſa ejus contentione mentionem fecimus. Scripſit etiam charitatem propugnatam a Catholi-

Sæc. XVII. A. C. 1656.

Vid. l. 106. §. 89. p. 642.

Sæc. XVII. A. C. 1656.

tholicis contra Potterum & infidelitatem dejectam contra Clingtworthiium. IX. Maximilianus Sandæus Jesuita, publici juris fecit decem centurias de Christo crucifixo, Platonem, Jureconsultum, & Medicum Christianum præter alia quamplurima. X. Hilarius a S. Anastasio, qui ex Canonico Regulari ad S. Crucem Augustæ factus Carmelita Excalceatus, dum adhuc inter Canonicos degebat, quamplurima Augustanis literis excusa posteritati reliquit, & quidem suum Thaumaturgum Eucharisticum, Cœnam Domini sub una, & utraque specie Acatholicis Augustanis oblatam, Assecurationem cauterialem conscientiæ hæreticorum in puncto Reformationis Augustanæ sub Ferdinando II. Cæsare, Patronum Beatorum, seu Catholicam defensionem articuli de invocatione Sanctorum contra eosdem, responsionem ad quatuor difficultates, quibus Acatholici a fide veteri absterreri videntur, Catechismum pœnitentiæ, Pallium tutellare, veterem Catholicorum pietatem erga Deiparam, & alia nonnulla. Edidit Carmelitam Discalceatus rationem initam priscæ fidei circa præcipuas Catholicorum & hæreticorum controversias, de Christianæ juventutis institutione, Catechismum Pœnitentiæ recognitum, & octies editum, semitam Catholicæ Religio-

ligionis, Archimedem Christianum, Perspicilia Catholicæ veritatis, Divisionem lucis a tenebris, lucifugam hæreticum, comitia Parthenica, Promontorium bonæ spei, seu artem bene moriendi, Achatem Christianum & alia nonnulla.

Sæc. XVII. A.C. 1656.

§. CXXXII.

Scriptores Acatholici hoc anno defuncti.

Ex Scriptoribus Acatholicis hoc anno denatis celebriores sunt. I. Justus Feurbornius, cujus contentiones cum Tubinganis habitas jam supra recensuimus. Scripsit Kenosigraphiam Christologicam, epitomen errorum Calvinianorum, expositionem epistolæ ad Galatas & ad Romanos præter plura alia. II. Salomon Glassius, qui scriptum edidit circa controversias Helmstadiensium & Wittebergensium præter libros quinque Philologiæ Sacræ, onomatologiam Messiæ, exegesin Evangelicorum, & selecta Scripturæ Mosaicæ & Davidicæ. III. Hartmanus Creidius scripsit meditationes in epistolas Dominicales, Postillam Evangelicam, & Epistolicam, Talæpotiam Divitum, Ideam mundi &c. IV. Georgius Calixtus, qui tam Thorunensi, quam Rheinfelsiano colloquio interfuit, sed exiguam ubique laudem reportavit. Edidit

Weisman. Intro. in hist. p. 1131. Vid. supra l. 193. §. 97. t. 57. p. 314. Freher. Theatr. erud.

Sæc. XVII. A.C. 1656.

dit acta inter Principem Ernestum & Calixtum, necnon animadversiones in Thorunensem Confessionem, judicium de controversiis inter Lutheranos & Calvinistas, commentaria in epistolam D. Pauli, tractatum de Sacrificio Christi, de SS. Trinitate, de Pontificiorum dogmatibus, de æterna beatitudine, de conjugio Clericorum, & ingentem aliorum similium faraginem. V. Simon Birkbekius publici juris fecit responsionem contra Antidotistam Pontificium, præter vindicias Protestantium, ut probare nitebatur in quolibet sæculo extitisse Doctores, qui in *plerisque* fidei articulis cum Ecclesia *Anglicana* consenserint. Ita nempe omnes Sectarii de antiquitate suæ Ecclesiæ ab Apostolorum ævo propagatæ gloriantur, nullus tamen hucusque ostendere potuit, suæ sectæ confessionem in omnibus articulis cum Apostolica consonam fuisse, vel aliquem Ecclesiæ Doctorem in omnibus consensisse. VI. Joseph Hall elucubravit Romam irreconciliabilem, Historiam Biblicam, Bibliorum usum, & nonnulla alia. VII. Joannes Hausius edidit libellum de schismate, disertationes de peccato in Spiritum Sanctum, de Cæna, & Confessione auriculari.